


Google


UC-NRLF
$B 14 254


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS
768x
F346
x79kf

Utrum metuerit Tiberius Germanicum necne quaeritur.

Dissertatio inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in academia Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Curtius Ferber

Hamburgensis.

Adversariorum partes suscipient:

Hermannus Harries, cand. phil.
Johannes Meyersahm, cand. phil.
Max Pauleke, cand. phil.

HAMBURGI.

Ex officina G. F. Thiele.

MDCCCLXXXX.

Rectoratsjahr 1890/91.
No. 9.

Imprimatur
Dr. G. Glogau
h. t. decanus.

PARENTIBUS MEIS

pietatis et amoris causa.



Quamvis multum his temporibus scriptum et disputatum sit de Imperatore Tiberio, adhuc tamen natura et mores eius magna ex parte obscura et quodam modo aenigmata manserunt. Olim Tiberius putabatur immanis et falsus, qui ne suis quidem pepercisset, et, siquid boni fecerat, simulasse aut malis rebus commotus fecisse videbatur: nostra aetate, cum ex inscriptionibus intellexisset provincias ab eo optime administratas, primus vir quidam doctus Hamburgensis, nomine Sievers, conatus est docere aliis quoque in rebus eum fuisse bonum Imperatorem, sed a veteribus scriptoribus pictum esse in deterius. Quem secuti sunt Stahr, Merivale, Freitag, alii multi, qui cum vellent vitare Charybdim, inciderunt in Scyllam. Cum enim calumniis purgare studerent Tiberium, criminati sunt Tacitum, ita ut Tiberius videatur clarissimus et optimus Imperator, malevolus calumniator Tacitus. Paulatim nunc operam dederunt viri docti, ut inirent mediam viam, sed alii aliam, ut multa in Tiberio nondum luceant. Cum vero nostri ita describant Tiberium, ut semper idem fuisse videatur, veteres tradiderunt scriptores initio regni eum fuisse bonum principem, mox magis magisque depravatum esse et deteriorem factum, si Tacitum [1]) sequimur, post Drusi mortem, si Dionem

---

[1]) Tac. Ann. IV. 7. *Quae cuncta non quidem comi via horridus ac plerumque formidatus, retinebat tamen, donec Drusi morte verterentur.*

Tac. Ann. VI. 51. „*Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere; idem inter bona malaque mixtus incolumi matre; intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur.*“

Seneca, de clem. I. 1, 6. „*Nemo iam divum Augustum nec Tiberi Caesaris prima tempora loquitur.*“ cf. Dirichlet. *Der Philosoph Seneca als Quelle für die Beurtheilung der ersten röm. Kaiser. Progr. Königsberg 1890.* p. 16.

Cassium [1]) et Suetonium [2]), post mortem Germanici. Atque obviam nobis fit apud veteres, nulla alia de causa Tiberium initio fuisse bonum nisi quod metuerit Germanicum. Certe dubitandum non est, quin magnam habuerit vim Germanicus ad id, quomodo se gesserit Tiberius; atque ad cognoscendos Tiberi mores et naturam sine dubio maximi est momenti, num re vera metuerit Tiberius Germanicum, id quod hoc tempore negatur a multis, a multis conceditur, neque autem constat. Quare id egi, ut sine ira et studio denuo quaererem, metuerit Germanicum Tiberius necne.

Sed antequam accedamus ad quaestionem ipsam, necessarium esse mihi videtur breviter afferre, quid de ea re sentiant et veteres et nostri rerum scriptores. Tacitus, Dio, Suetonius in Tiberio fuisse metum Germanici sine ulla dubitatione tradiderunt, neque hoc quisquam veterum scriptorum negavit; etsi enim Velleius Paterculus praetermisit metum illum, non tamen negavit. Quamquam nostra aetate multi viri docti in Tiberio fuisse Germanici metum negant. Sievers [3]) quidem dicit: „*Eine beim Tacitus vorwaltende Ansicht ist die, dass Tiberius von einer sehr übelwollenden Gesinnung* (i. e. in Germanicum) *beherrscht gewesen sei. Unwillkürlich drängt sich uns hierbei die Frage auf, worauf*

---

[1]) Dio 57. 7. (*Tiberius*) *τήν τε ἀρχὴν οὐδὲν ἔτι εἰρωνευόμενος ὑπεδέξατο καὶ τοιῷδε αὐτὴν τρόπῳ, ἐφ᾽ὅσον ὁ Γερμανικὸς ἔζη, διήγαγεν.*

Dio 57, 13. *ταῦθ᾽ οὕτω πάντα μέχρι γε καὶ ὁ Γερμανικὸς ἔζη, ἐποίει μετὰ γὰρ τοῦτο συχνὰ αὐτῶν μετέβαλεν, εἴτ᾽ οὖν φρονῶν μὲν οὕτως ἀπὸ πρώτης ὡς ὕστερον διέδειξε, πλασάμενος δὲ ἐφ᾽ ὅσον ἐκεῖνος ἐβίω, ἐπειδήπερ ἐφεδρεύοντα αὐτὸν τῇ ἡγεμονίᾳ ἑώρα, εἴτε καὶ πεφυκὼς μὲν εὖ, ἐξοκείλας δ᾽ὅτε τοῦ ἀνταγωνιστοῦ ἐστερήθη.*

[2]) Suet. Cal. 6. *cunctis nec temere opinantibus reverentia eius* (*i. e. Germanici*) *ac metu repressam Tiberi saevitiam.*

[3]) Dr. Sievers, ***Tacitus und Tiberius, II. Teil Hamb. Progr. 1851 p 1.***

sich denn diese Ansicht stütze.“ Demonstrat deinde non potuisse Tiberio esse invidiam Germanici; sed de metu nihil dicit, quamquam conspicuum est ne hunc quidem ab eo concedi. Schiller [1]) autem in historia sua Imperatorum Romanorum dicit Germanico non familiariter usum esse Tiberium [2]), atque etiam fieri posse putat, ut Tiberius metuerit Germanicum, sed negat hunc metum pertinuisse ad imperii administrationem. Pisonem enim Suriae praefectum esse putat a Tiberio solum idcirco, ne Germanicus sua sponte, id quod fecisset in Germania, invito Imperatore susciperet bellum non necessarium [3]). Atque unum posse Tiberio crimini dari, quod non id egerit, ut inter se et Germanicum bene conveniret, sed impediverit hoc [4]).

Peter [5]) opinatur in Tiberio fuisse simulationem et invidiam et suspicionem in se et in alios eumque sollicitatum esse bellica Germanici gloria [6]): dubitat, num veneno mortuus sit Germanicus, sed Tiberium omni mortis culpa liberat. *„Nur soviel,“* inquit, *bleibt auf Tiberius haften, dass er aus böswilliger Absicht dem Germanicus in Piso einen feindseligen Genossen und Mitarbeiter*

---

[1]) Hermann Schiller, *Geschichte der röm. Kaiserzeit. Gotha 1883.*

[2]) pag 261. *„Dazu kam die keineswegs freundliche Stellung, welche er innerhalb der kaiserlichen Familie namentlich durch Agrippinens Einfluss einnahm.“*

[3]) pag. 266. *„Es mag sein, dass bei dem Kaiser auch die Besorgnis wirksam war, dem Germanicus zu viel verdanken zu müssen, auch mag er die Schwierigkeit erwogen haben, seinem leiblichen Sohn die Nachfolge zuzuwenden, wenn Germanicus mehr und dauernd in den Vordergrund trat, die Entscheidung hat doch schliesslich die tiefere politische Erwägung gegeben, dass ohne Vermehrung der Heere und Erhöhung der Steuern eine kriegerische Politik unmöglich sei.“*

[4]) pag. 272. *„Doch in tausend kleineren Fragen mussten hier Conflicte entstehen, die höchstens durch ein persönlich gutes Verhältnis der Commandeure gemildert werden konnten. Und hierin liegt der einzige Vorwurf, der Tiberius treffen kann, dass er Alles that, um ein solches Verhältnis von vornherein unmöglich zu machen.“*

[5]) Peter, *Gesch. Roms, Bd. III. Halle 1881.*

[6]) pag. 176. *„Er hatte auch die kriegerischen Unternehmungen des Germanicus mit Besorgnis verfolgt; . . . . nicht minder wurde er durch den Glanz der Thaten und die Volksgunst des Germanicus beunruhigt.“*

an die Seite setzte.“ [1]). Similiter Hertzberg [2]) persuasum sibi habet fuisse in Tiberio metum Germanici, sed non fuisse causam huius metus: quare Germanicum in meliorem partem, in deteriorem interpretatur Tiberium. Ita dicit: [3]) *„Germanicus war nicht der Mann, wie ihn sich das Volk und der Adel der Hauptstadt, wie ihn auch sein misstrauischer kaiserlicher Adoptivvater sich vorstellte. Er für seine Person trachtete durchaus nicht nach dem glänzenden Elend der Caesarenstellung. Noch viel weniger fiel es ihm ein gegen seinen Adoptivvater, seinen Kriegsherrn und vieljährigen, soldatischen Lehrmeister die Hand zu erheben.“* Ranke [4]) denique concedit fieri potuisse, ut Tiberius metueret Germanicum, sed ad ea, quae de hac re scripsit, adnotat haec: *„Von dem Verhältnis zu seinem Sohn gehen wir zu dem Neffen über. Es ist der Hader mit Germanicus und dessen Umgebung, Ereignisse, die bei Tacitus die Darstellung des Tiberius ganz besonders characterisieren. Ueberall werden die Thatsachen in ihrem wahren Verlauf dargestellt, aber mit einem Verdacht durchwoben, der diesem ein Gepräge giebt, welches grösseren Eindruck macht als die Thatsachen selbst. Wenn Germanicus in einer Senatssitzung von Tiberius belobt wird, so giebt Tacitus doch nicht zu, dass er es damit ernstlich gemeint habe.“* Quamquam vero non negant hi omnes in Tiberio fuisse illum metum, nuper tamen (anno h. s. LXXXV.) Altemoeller in programmate Argentoratensi, quod inscribitur *„Der Process des Cn. Calpurnius Piso,“* non modo haec negavit, sed etiam docere studuit in Tiberio fuisse magnam Germanici fiduciam et amorem potius quam odium. Quae cum ita sint, operae pretium mihi videtur hanc rem, ut mihi proposui, denuo accuratissime inquirere.

Atque opus est, quoniam ad illam aetatem cognoscendam fontium numerus nobis parvus est, quasi ducem sequi Tacitum, quem omnes concedunt praeferendum esse Dioni et Suetonio. At quanta est Taciti fides et auctoritas? quae, ut supra diximus,

---

[1]) Peter pag. 189.

[2]) *Allgemeine Geschichte von Oncken III. 1. Gesch. d. röm. Kaiserzeit von Hertzberg. Berlin 1880.*

[3]) Hertzberg pag. 157.

[4]) Ranke, *Weltgeschichte Bd. III. 2. pag. 296.*

his temporibus in magnam venit controversiam. Sed ut omittam haec: — neque enim hic est locus de ea re dicendi, — equidem valde probo ea quae de hac re dixit Binder [1]), qui praeclarissime docuit, Tacitum scripsisse, ut voluit, sine ira et studio et usum esse multis variisque fontibus, ex quibus elegerit ea, quae iustissima et fidissima ei visa sint. Mihi quoque videtur, id quod etiam Nipperdey [2]) et Wallichs [3]) affirmaverunt, Tacitus scripsisse, quam optime potuit, sine ira et studio. Ut enim praetermittam ea quae dixit in Annalium libri primi primo capite, velle sese scribere „*sine ira et studio*": multis ex locis hoc intellegi potest, ut ex I. 80: „*id quoque morum Tiberi fuit, continuare imperia . . . . . causae variae traduntur; alii taedio novae curae semel placita pro aeternis servavisse, quidam invidia, ne plures fruerentur; sunt qui existiment ut callidum eius ingenium, ita anxium iudicium;*" ex III. 16: „*quorum neutrum adseveraverim, neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad iuventam duraverunt;*" ex III. 19: „*is finis fuit in ulsciscenda Germanici morte non modo apud illos homines, qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore iactata. adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, et gliscit utrumque posteritate;*" ex III 65: „*praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit;*" ex IV. 10: „*In tradenda morte Drusi, quae plurimis maximaeque fidei auctoribus memorata sunt, rettuli, sed non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo, ut nondum exolescat;*" ex IV. 11: „*Haec vulgo iactata super id, quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris . . . . mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant;*" ex IV. 57: „*causam abscessus quamquam secutus plurimos*

---

[1]) J. J. Binder, *Tacitus und d. Gesch. des röm. Reiches unter Tiberius in d. ersten VI Büchern ab excescu divi Aug. Wien 1880.*

[2]) *Cornelius Tacitus erklärt von K. Nipperdey, Berlin 1879. Einl. pag. 30 ff.*

[3]) Wallichs, *die Geschichtsschreibung des Tacitus. Progr. Rendsburg 1888. pag. 23 ff.*

auctorum ad Seiani artes rettuli, quia tamen . . . . . . plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit:“ ex XI. 27: *„nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam.*“ Quis est, postquam haec legit, qui dubitet, quin Tacitus summa vi operam dederit, ut scriberet integro et iusto animo? Non modo res tradit, sed etiam rumores, quia rerum scriptoris esse putat, idem quod Herodotus, tradere τὰ λεγόμενα, non silere quae narrantur. Ubi de eadem re diversa traduntur, omnia haec affert, quia ipse non satis integer sibi videtur, et occasionem legenti dat eligendi recta: ubi affert rumores, esse rumores addit: interdum suam ipsius sententiam addit. Quae non sunt certa, ea non tradit certa, longeque abest, ut aliquid fingat. Concedendum est eum de Tiberio male opinari atque id cerni posse in Annalibus, cum ita scribat, ut qui legit eos integro animo et parum diligenter, ut male sentiat de Tiberio, facile commoveatur. Itaque qui diligenter et accurate leget Taciti Annales, facile cognoscet numquam Tacitum calumniatum esse aut finxisse quidquam aut de industria a veritate deflexisse; sed ubi deflexerit, inde factum esse, quod accuratius secutus sit fontes. Quinam erant hi fontes? Multa iam de his disputata sunt, quorum maxime mihi probatur Binderi sententia; sed tamen non potest certo statui, quibus fontibus usus sit Tacitus. Hoc vero dubitandum non est, quin permulti fuerint fontes eius, ut dicit Nipperdey [1]); *„Dass die Bücher ab excessu divi Augusti und die Historien auf einem bedeutenden Quellenstudium beruhn, das wird jedem verständigen Leser der Eindruck, den sie auf ihn machen, zum Bewusstsein bringen,*“ atque id perspicuum est vel ex eo, quod saepissime talia affert, qualia: *„credidere quidam*“ [II. 43], *„addunt plerique*“ [II. 70], *„non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio*“ [III. 3]. Elucet, ut docuit Binder, ad ea enarranda, ad quae pertinet quaestio nostra, usum esse eum praeter alios annalium auctore eodem, quo et Dio Cassius et Suetonius: deinde ex nonnullis locis satis clare intellegimus, hausisse eum, ut describeret seditionem apud Rhenum motam et bella Germanorum, ex auctore,

---

[1]) Einleitung pag, 22.

qui aderat illis rebus et erat inter Germanici amicos; praeterea ad enarrandas res in Oriente gestas secutus est auctorem, qui comitatus est Germanicum in Orientem et secutus in Aegyptum, qui erat inter Germanici amicos, — haud scio an eundem, quem ad res Germanicas — qui aderat morienti Germanico et aderat Agrippinae ad Brundusium appellenti. Postremo mihi videtur usus esse auctore, qui Pisoni amicus aderat, cum post mortem Germanici, quid esset agendum, ille consultaret. Quorum fontium in quaestione nostra interdum erit ratio habenda, ut rectius intellegamus ea quae tradidit Tacitus.

Ut veniamus ad rem ipsam: a. p. Chr. n. XIV. Augusto mortuo successit privignus eius Tiberius, quem adoptaverat Augustus, quamquam ex suo ipsius sanguine superstitem reliquit nepotem Agrippam Postumum, cuius de moribus „*multa saevaque questus, ut exilium eius senatus consulto sanciretur, perfecerat*“. [1]) Qui initio Tiberi regni interfectus est, dubium quo auctore. Ita ad Claudios imperium translatum erat, et videbatur futurum esse, ut a Tiberio transferretur ad posteros eius: habebat enim heredem regni Tiberius filium, cui nomen erat Drusus. Cui cum non esset filius, proximus successioni erat Germanicus, Drusi maioris, Tiberi fratris, filius, quem Augusto auctore adoptaverat Tiberius. *Nam*, ut ait Tacitus, [2]) *adsciri eum per adoptionem a Tiberio iussit Augustus, quamquam esset in domo Tiberi filius iuvenis, sed quo pluribus munimentis insisteret.*“ Erat enim Drusus infirma valetudine, et erat timendum, ne praematura morte obiret nullo herede relicto. Miror quare commotus Altemoeller dicat: [3]) „*Hierdurch* (i. e. Germanico adoptato) *war die Erblichkeit der Regierung im Hause der Claudier in Frage gestellt und den Absichten des Kaisers, wenn anders er seinem leiblichen Sohne Drusus die Krone hinterlassen wollte, entgegengewirkt.*“ Cuius rei argumenta non affert neque addit, unde haec sciat. Atque etiam alii in hanc miram

---

[1]) Tac. Ann. I. 6.
[2]) Tac. Ann. I. 3.
[3]) pag. 8.

opinionem inciderunt: [1]) neque autem video, cur dubitemus, quin Drusus fuerit heres regni et post hunc proximus successioni Germanicus. Neque enim ex loco illo, quem afferunt, IV. 57 *„dubitaverat Augustus Germanicum sororis nepotem et cunctis laudatum, rei Romanae imponere, sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit“* quidquam efficitur nisi Germanicum a Tiberio adoptatum esse auctore Augusto. Sed erant tum, qui crederent, Germanicum successioni propiorem esse quam Tiberium, cum esset non modo coniunx Agrippinae, neptis Augusti, sed etiam Augusti sororis nepos. Quin etiam *„dubitaverat,“* ut vidimus, *„Augustus Germanicum rei imponere.“* Quae cum ita essent, fieri potuit, ut Tiberium invaderet metus, ne Germanicus *„habere imperium mallet quam expectare.“*

Sed inquiramus ea quae tradidit Tacitus: iam initio regni sui Tiberium metuisse Germanicum Tacitus in libro primo Annalium cap. VII. plane dicit. Cunctatum esse Tiberium imperium suscipere tribus causis permotum. *„Causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam expectare mallet.“* [2])

Quam non famam esse dicit neque suam sententiam, — hoc enim addidisset — sed certam rem. Neque est quod dubitemus: sine dubio ex fontibus suis hausit haec, non, ut dicunt vituperatores eius, finxit. Ut apud hos invenit, ita fidem iis habuit atque

---

[1]) Ita Schiller dicit (pag. 250). „***Augustus zwang den Tiberius, den Germanicus als Sohn anzunehmen, während sein leiblicher Sohn Drusus hintangesetzt wurde,***“ et pag. 258: „***ja es scheint, dass Augustus ihn*** (i. e. Germanicum) ***und seine Kinder dem Tiberius zu Thronerben bestimmt hatte.***“ Similiter Peter (pag. 141): „***Augustus fügte ihm*** (i. e. Tiberio) ***noch eine besondere Kränkung dadurch zu, dass er ihn nötigte, den Germanicus zu adoptieren und dadurch zu seinem Nachfolger zu bestimmen.***“

[2]) cf. Dio 57. 3. *ὁ δὲ οὖν Τιβέριος ταῦτα τότε ἐποίει τὸ μὲν πλεῖστον ὅτι οὕτω τε ἐπεφύκει καὶ οὕτω προῄρητο, ἤδη δὲ ὅτι τά τε στρατεύματα καὶ τὰ Παννονικὰ καὶ τὰ Γερμανικά, ὑπετόπει, καὶ τὸν Γερμανικὸν τῆς τε Γερμανίας ἄρχοντα καὶ φιλούμενον ὑπ᾽ αὐτῶν ἐδεδίει.*
Dio 57. 4. *τὸν δὲ δὴ Γερμανικὸν δεινῶς ἐφοβεῖτο,*

eadem fides a nobis habenda est ipsi, nisi inveniemus quae cum hac re pugnent. Quod afferunt nonnulli, Tiberio praesto fuisse multo maiores copias quam Germanico, non est rectum; in provinciis multas et fideles habuit legiones, non in Italia. Romae ei erant nullae copiae nisi cohortes praetoriae, quae, si Germanicus octo legiones, quibus praepositus erat ab Augusto, contra Tiberium duxisset, resistere non potuissent. Altemoeller autem Tiberium a Germanico sibi nihil metuisse inde effici opinatur, quod non statim eum a legionibus avocaverit, sed tribus demum annis post, ita ut ille, si studuisset novis rebus, multo facilius profecisset. Sed non potuit Tiberius; nam si statim avocatus esset Germanicus, odio aut invidiae Tiberio hoc tribuisset atque aut ipse aut legiones rem in discrimen vocassent. Non effugit Tiberium propter Germanici favorem popularem [1]) sibi futurum esse multo maiori periculo, si revocaret Germanicum quam si non revocaret. Quare studuit praebere populo et militibus speciem amoris et benevolentiae in Germanicum. Itaque „*Germanico Caesari proconsulare imperium petivit missique legati, qui deferrent, simul maestitiam eius ob excessum Augusti solarentur.*“ [2]) Atque haec benevolentiae species fefellit etiam Altemoellerum, ita ut hoc afferat argumentum, quo demonstret non fuisse metum Germanici in Tiberio. [3]) Sed quid erat hoc imperium proconsulare? Ut dicit Nipperdey in nota ad hunc locum facta, hoc non potuit esse usitatum illud imperium proconsulare, quoniam

---

[1]) Suet Cal. 4: „*Sic vulgo favorabilis (Germanicus) ut plurimi tradant, quotiens aliquo adveniret vel sicunde discederet, prae turba occurrentium prosequentiumve nonnumquam eum discrimen vitae adisse, e Germania vero post compressam seditionem revertenti praetorianas cohortes universas prodisse obviam, quamvis pronuntiatum esset, ut duae tantum modo exirent, populi autem sexum, aetatem, ordinem omnem usque ad vicesimum lapidem effudisse se.*“

[2]) Tac. Ann. I. 14.

[3]) pag. 7.: „*Dann erhöhte er noch seine Macht und sein Ansehen aus freihen Stücken, indem er vom Senate die Proconsularwürde für ihn verlangte und ihn bald darauf mit dem Imperatortitel beschenkte. Ein solches fast unbegrenztes Vertrauen hatte er zu seinem Neffen und Adoptivsohne, welches dieser alsdann durch zahlreiche kräftige Beweise seiner unwandelbaren Treue und Ergebenheit zu schützen und zu nähren beflissen war.*“

Germanicus praeerat non provinciae senatoriae, sed imperatoriae, cui legatos praeficiebat Imperator ipse: quare nostro loco „*imperium proconsulare*“ intellegendum est sempiternum illud, quod habebant Imperatores; quod etiam reversis in urbem mansit, idem quod postea Neroni ab Imperatore Claudio tributum esse accepimus. [1]) Sed quamvis videretur magnus hic honor, ut erat aliis temporibus, illo tamen momento re vera nihil erat nisi titulus, neque eo augebatur Germanici potentia. Quae non magis augebatur eo, quod Germanicus „*nomen Imperatoris auctore Tiberio accepit* [2]).“ Quid enim aliud erat hoc nomen nisi titulus? An putamus Germanico rerum potiri studenti — hoc enim metuit Tiberius — hanc occasionem potius datam esse, cum accepisset imperium proconsulare et nomen Imperatoris? hae res num ad favorem eius pertinebant? Sed potuit his rebus Tiberius sibi conciliare animos militum, qui cum viderent eum tribuere Germanico summos honores, adduci potuerunt, ut amari Germanicum a Tiberio crederent. Similiter reliqui quoque honores, ex quibus Taciti vituperatores efficiunt bene convenisse inter Tiberium et Germanicum, specie sunt permagni, re vera nihil fere valent. Sed de singulis suo loco dicam.

Sequitur seditio legionum Germanicarum, ex qua non sine causa fuisse Tiberi metum perspicuum est, cum apud legiones magnus esset favor Germanico. Qua in seditione describenda incipit Tacitus hoc modo: [3]) „*Isdem ferme diebus isdem causis Germanicae legiones turbatae, quanto plures tanto violentius et magna spe fore ut G e r m a n i c u s C a e s a r i m p e r i u m a l t e r i u s p a t i n e q u i r e t d a r e t q u e s e l e g i o n i b u s v i s u a c u n c t a t r a c t u r i s.*“ Ex sequenti narratione, si diligentius legemus, intellegemus auctorem, quo Tacitus ad enarranda haec usus est fonte, interfuisse illis rebus, ita ut militum animos haud ignorare deberet. Atque etiam res ipsae demonstrant tales fuisse militum animos: scriptum enim videmus, [4]) cum in castra tumultuantium militum venisset Germanicus et tumultum verbis sedare

---

[1]) Tac. Ann. XII. 41

[2]) Tac. Ann. I. 58.

[3]) Tac. Ann. I. 31.

[4]) Tac. Ann. I. 35.

conatus esset, illos attulisse querelas et orasse, ut „*mederetur fessis.*“ Fuerunt etiam qui „*legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus: et si vellet imperium promptas res ostentarere.*“ [1]) Quae cum ita essent, nonne habuit Tiberius, quod metueret Germanicum eiusque legiones? At Germanicus egregiam praestitit fidem; „*quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit*“; „*moriturum potius quam fidem exueret clamitans, ferrum a latere diripuit elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent.*“ Sed haec, praeterquam quod aliquantum simulationis non defuisse cognoscimus, non diluunt Tiberi metum: immo vero augeri debebat metus, cum cognovisset Tiberius tam deditos esse milites Germanico et postulasse ut hic rerum potiretur. Etsi Germanicus usus non erat hac occasione, propterea Tiberius num liberatus erat timore, ne iterum talem occasionem ille non praetermitteret? Non opus est malum hominem ducere Tiberium, quod, cum ita res sese haberent, metuit Germanicum. Quivis alius princeps providus sine dubio idem fecisset, si fuisset in Tiberi loco, si ipsi fuisset favor neque apud populum neque apud milites, filio autem adoptivo fuisset summus omnium amor, si legiones illum salutavissent Imperatorem. Neque ab hoc tempore orsus est Tiberius metuere, sed, ut vidimus, iam antea metuit et iam diu uterque inter se in simultate erat propter Agrippinam, Germanici uxorem. Dicit enim Tacitus [2]) Germanicum fuisse „*anxium occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum causae acriores, quia iniquae. Quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus; unde in Germanicum favor et spes eadem. Nam iuveni civile ingenium, mira comitas et diversa ab Tiberi*

---

[1]) cf. Dio 57 5 „*οἱ δ' ἐν τῇ Γερμανίᾳ καὶ πολλοὶ διὰ τὸν πόλεμον ἠθροισμένοι καὶ τὸν Γερμανικὸν καὶ Καίσαρα καὶ πολὺ τοῦ Τιβερίου κρείττω ὁρῶντες ὄντα, οὐδὲν ἐμετρίαζον, ἀλλὰ τὰ αὐτὰ προτεινόμενοι τόν τε Τιβέριον ἐκακηγόρησαν καὶ τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἐπεκάλεσαν.*“

Suet. Cal. 1: „*legiones universas Imperatorem Tiberium pertinacissime recusantis et sibi summam rei publicae deferentis . . . . . compescuit (Germanicus).*“

[2]) Tac. Ann. I. 33.

sermone vultu, adrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.“ Videmus fuisse inimicitias et odium inter Liviam et Agrippinam; videmus, quamquam omni culpa liberari Livia non potest, non parvam culpae partem conferendam esse in Agrippinam, quae dicitur „*paulo commotior*“ et „*indomito animo*“; haud denique nescimus, Germanicum summo amore coniunctum fuisse cum Agrippina, Tiberium, illo quidem tempore, cum Livia matre. Patet igitur vel ob hanc rem inter Tiberium et Germanicum bene convenire non potuisse. Videntur autem fuisse etiam aliae simultatis causae, quas ignoramus; certe enim coactus non esset Tiberius ab Augusto, ut adoptaret Germanicum, si illum dilexisset. Ergo iam tum non familiariter inter se vixerunt. Sed videamus quid dicat Altemoeller: [1]) „*Tacitus versichert freilich, Germanicus sei ängstlich gewesen wegen des ungerechten Hasses seines Oheims; jedoch für das Gegenteil liefert er den Beweis. Ueberall tritt uns der Prinz als ein freimütiger, kecker Jüngling entgegen, der alles mit einer gewissen Verwegenheit und Unbefangenheit, nichts mit ängstlicher Scheu und Besorgnis zu beginnen und auszuführen pflegt.*“ Hoc intellegi posse pergit ex falsis illis litteris, per quas ille concesserit tumultuantibus militibus ea, quae esse contra Imperatoris voluntatem persuasum sibi habuerit; hoc intellegi posse ex crebris illis expeditionibus sumptuosis in Germanos factis, quas Tiberio non probari haud fuerit nescius; hoc intellegi posse ex eo, quod Germanicus quamvis monitus a patruo, ut desisteret bellis irritis et rediret Romam, non tamen destiterit, sed a principe „*annum efficiendis coeptis*“ precari conatus sit. Quibus argumentis Tacitum redargui qui putat, ei miranda est stultitia Taciti, qui non viderit hoc modo sese pugnantia loqui. Sed quis est qui dubitet, quin litterae illae falsae ortae sint ex metu militum tumultuantium, qui maior tum erat quam angor Tiberi, non sine aliqua spe, fore ut a Tiberio probarentur quae sua sponte concesserat? Deinde invasiones in Germanos factas a

---

[1]) pag. 8.

Tiberio non laudari nescius erat, antequam moneretur a Tiberio, ut desisteret Romamque rediret. Quod autem conatus est precari ab Imperatore „annum efficiendis coeptis“, certa spe commotus posse sese bellum conficere anno uno, hoc audaciae vel securitatis esse mihi non videtur. Hoc precari potuit, etiam si metuebat Tiberium et anxius erat occultis patrui in se odiis et invidia.

Quamvis autem res ita sese haberent, ut esset in simultate cum Germanico Tiberius et haberet quod metueret illum, videtur tamen Germanicus ipse non studuisse novis rebus: sed inquam „videtur“, cum animum eius et voluntatem non iam perquirere possimus. Nam si studuit, mirum est, cur usus non sit occasione oblata a militibus. Ita Tacitus dicit: [1]) „*Sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti, Sequanos proximos et Belgarum civitates in verba eius adigit. Dehinc audito legionum tumultu raptim profectus* . . . . .“ Hoc sane intellegatur meritum. Si autem in oratione, quam habuit uxore ex castris remota, Germanicus: „*non mihi uxor*,“ inquit [2]), „*aut filius patre et republica cariores sunt*,“ minimi hoc mihi videtur momenti, cum palam dicere non posset se in simultate esse cum patre. Quamquam non constat, num habuerit cur proferret discrimen et interim obsequium erga Tiberium servaret. Militum animos non satis eum cognovisse, inde patet, quod ante pugnam in campo Idisiaviso factam noctu per occultas castrorum vias cum uno comite ambulabat, ut nosceret militum mentes [3]). Quare in medio relinquamus, utrum rerum potiri studuerit necne.

Post seditionem sedatam Germanicus milites adversus hostem duxit et fecit expeditiones illas, quae magnam ei pepererunt gloriam. Jam anno XIV. Tiberius comperit compressam

---

[1]) Tac. Ann. I 34. cf Dio 57 6: „*καὶ ὁ μὲν* (i. e. Germanicus) *δυνηθεὶς ἂν τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν λαβεῖν, (ἡ γὰρ εὔνοια πάντων ἁπλῶς τῶν Ῥωμαίων καὶ τῶν ὑπηκόων σφῶν εἰς αὐτὸν ἐποίει) οὐκ ἠθέλησεν*,“ et 57 18: „*δυνηθεὶς γοῦν πολλάκις καὶ παρ᾽ ἑκόντων οὐχ ὅτι τῶν στρατιωτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῦ δήμου τῆς τε βουλῆς τὴν αὐτοκράτορα λαβεῖν ἀρχὴν οὐκ ἠθέλησεν*.

[2]) Tac. Ann. I 42.

[3]) Tac. Ann. II 13.

seditionem et primam invasionem in hostes factam. „*Nuntiata ea Tiberium laetitia curaque adfecere, gaudebat oppressam seditionem, sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloria angebatur; rettulit tamen ad senatum de rebus gestis multaque de virtutibus eius memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione.*“ [1]) Hic locus multis occasionem dedit, Tacitum opprobriis cumulandi, sed iniuria. Quantum vidimus, fieri non potuit quin augeretur metus Tiberi, si Germanicus „*largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesiverat;*“ quod vero attinet ad gloriam bellicam, ne ea quidem parvi erat aestimanda. Neque enim, id quod fecerunt nostra aetate multi, gloriam bellicam Germanici aestimare debemus ex eventu belli, — hic enim erat parvus — sed ex eo, quantopere facta eius commoverint animos Romanorum. Sed quid Altemoeller? „*Auch dachte und sprach das Volk gar nicht von ihm wie von einem Feldherrn, dem Kriegsruhm zur Seite steht. Denn am Ende des Feldzuges vom Jahre 15 ging das Gerücht, das Heer des Germanicus sei umzingelt, eine Schaar Deutscher ziehe in feindlicher Absicht nach Gallien, und bald darauf ist der Schriftsteller unvorsichtig genug zu berichten: „Man glaubte nicht an die Rettung der Legionen, bis man den Caesar mit dem Heere zurück kehren sah.*“ Quis autem est, qui ex his rumoribus efficiat Germanico bellicam gloriam defuisse? Si enim rumor ferebatur, „*exercitum circumventum esse et infesto Germanorum agmine Gallias peti,*“ „*nec fides salutis erat, antequam Caesarem exercitumque reducem viderent.*“ nihil aliud discimus nisi quantus fuerit terror populi. Neque autem ex eo, quod timor erat, ne pericula essent maiora quam quae Germanicus

---

[1]) Tac. Ann. I 52. cf Dio 57 6: „*Τιβέριος ἐπήνεσε μὲν αὐτὸν ἐπὶ τούτῳ, οὐ μέντοι καὶ ἥσθη οἷς ἔπραξεν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλεῖον αὐτὸν ὡς καὶ τὰ στρατεύματα ἀνηρτημένον ἔδεισεν. οὐ γάρ που καὶ φρονεῖν οὕτως ὡς ἐδόκει ἐξ ὧν ἑαυτοῦ συνῄδει, ἄλλα μὲν λέγοντι, ἄλλα δὲ ποιοῦντι, ὑπελάμβανεν, ὥσθ᾽ ὑπετόπει μὲν καὶ ἐκεῖνον, ὑπετόπει δὲ καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ . . . . . οὐ μὴν καὶ προσεποιεῖτο ἄχθεσθαι σφίσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπαίνους ἐν τῇ βουλῇ Γερμανικοῦ πολλοὺς ἐποιήσατο.*“

effugere posset, umquam potest effici a populo non laudatam esse Germanici bellicam gloriam, id quod facit Altemoeller, quasi non liceat timere, ne in discrimen veniat is, cui est bellica gloria. Si autem pergit Altemoeller: [1]) „*Wie wenig endlich Tiberius selbst von der gloria bellica seines Adoptivsohnes hielt, das gab er deutlich zu erkennen, indem er erklärte, dass die errungenen Erfolge und die ganze Art der Kriegführung gegen die Germanen ihn nicht befriedigten*“: Germanicus, quamquam facta eius a Tiberio gloriosa non putabantur, apud populum Romanum tamen habuit bellicam gloriam. Quae cum negari non possit, sed esset permagna, Tiberius, cui non erat tanta gloria, iure metuere debebat, ne favor illius non apud milites modo, sed etiam apud cives in dies augeretur. Atque si ita metuit, necesse est ea quae dixit de Germanico fuisse „*magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur.*“ Cum enim seditionis periculo esset liberatus, opus ei erat gaudere et gaudium verbis eloqui: metum autem, qui, quamvis magnus, sine causa tamen fortasse erat, exprimere ei nullo modo licebat. Drusum, quem non timebat, fida oratione laudare potuit. Sed si quis dicat benevolentiae erga Germanicum fuisse, quod servavit cuncta, quae indulserat ille: [2]) iam anno sequenti haec irrita fecit, [3]) ut servasse haec eum videamus nulla re commotum nisi metu. Anno posteriore „*Druso Caesare C. Norbano consulibus decernitur Germanico triumphus manente bello.*“ [4]) Neque autem traditur quo auctore; etiamsi Tiberius fuit auctor, certe hoc non magis refellit metum illius quam quod Germanicus nomen Imperatoris auctore Tiberio accepit. Sed, ut supra diximus, hoc idcirco factum est, ut species amicitiae servaretur. Neque huic rei obstat, quod Tiberius reprehendit Germanicum, cum ille duxisset exercitum in saltum Teutoburgiensem, ubi „*reliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur*“ et ossa humo tegere iussisset. „*Quod Tiberio,*“ ut ait Tacitus, [5]) „*haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti*

---

[1]) pag. 5.

[2]) cf. Altemoeller pag. 11, et Karsten, de P. C. Taciti fide in IV prioribus Annalium libris 1868. pag. 84.

[3]) Tac. Ann. I 78.

[4]) Tac. Ann. I 55.

[5]) Ann. I 62.

sive exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia et formidolosiorem hostium credebat; neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum attrectare feralia debuisse." Haec Taciti verba commoverunt Altemoellerum, ut Tacitum quasi calumniantem Tiberium reprehenderet [1]), quod hunc omnia Germanici in deterius trahere dicat. Atque etiam eo progressus est, ut diceret haec: „*Ueberall, wo der Kaiser den Prinzen tadelt, da heuchelt er nicht nach des Tacitus Ansicht, wo er aber lobt, da lügt er. So bildet die Heuchelei in der Hand des Autors den Zauberstab, womit er alle guten Worte und Thaten des Fürsten ins Gegenteil verkehrt, bis nur noch Fehler übrig bleiben.*" Sed hoc est calumniari Tacitum; primum enim nisi hoc loco nusquam dixit Tacitus haec; deinde ne hoc quidem loco asseverat, sed duas refert reprehensionis causas, quas verisimile est eum invenisse in diversis fontibus, in medio relinquens, utra sit rectior, ut est auctoris sine ira et studio scribentis. Atque haec eadem plane demonstrant Tacitum, quamvis male existimarit de Tiberio, nihil tamen omisisse, quod illum purget. Neque autem illud „*Tiberium cuncta Germanici in deterins trahere*" umquam scripsisset ullus auctor, si bene convenisset inter Tiberium et Germanicum. Nos quidem praeferemus alteram causam, quod „*exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia et formidolosiorem hostium*" Tiberius credebat, id quod paulo post factum est, propterea quod intellegimus ex aliis locis Tiberium suis rationibus anteposuisse rei publicae salutem. Cum vero redeuntes exercitus a Germanis in magnum discrimen adducti vix e periculo evasissent, „*pervaserat circumventi exercitus fama et infesto Germanorum agmine Gallias peti ac ni Agrippina impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. Sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius stetisse apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem. Id Tiberi animum altius penetravit: non enim simplices eas curas nec adversus externos militum studia quaeri. Nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem temptet, tamquam*

---

[1]) pag. 9 et pag. 11.

parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat Caesaremque Caligulam appellari velit. Potiorem iam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces; compressam a muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiverit [1]).“ Hoc capite nonne satis probat Tacitus Tiberi metum? Non iam dubitandum est, si ita se gessit Agrippina, quin iustus in Tiberio fuerit metus. Accedunt ea, quae ipse fecit Germanicus, cum redisset cum legionibus, ut augeret favorem militum: „*propria pecunia militem iuvit. Utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens alium spe, alium gloria, cunctos adloquio et cura sibique et proelio firmabat* [2]).“ Putamusne haec fecisse nulla alia de causa Germanicum nisi quod erat natura comis? Nonne videtur de industria quaesivisse militum studia? Quid autem habuit, quod quaereret illa? Certe Tiberius debebat timere extrema.

Anno XVI. in Oriente pax et requies turbabantur, cum Parthi Vononem, qnem regem a Romanis acceperant, depulissent et Artabanum regem creavissent. Vonones cum ab Artabano victus in Armeniam fugisset, quae tum erat sine rege, postquam ab Armeniis rex factus est, cum parum ei esset subsidii, Romanos adiit. „*Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret* [3]).“ Quoniam supra vidimus, quantus in Tiberio fuerit metus Germanici et quales fuerint causae huius metus, mirum non potest videri eum voluisse, ut ait Tacitus, Germanicum suetis legionibus abstrahere. Quod autem addit Tacitus „*ut novis provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret*,“ is qui integro animo haec legit, facile adducitur, ut putet Tiberium insidiatum esse Germanico. Fieri potest, ut speraverit Tiberius in Oriente morbo aut casu moriturum esse Germanicum, sed verisimilius est Tacitum invenisse talia apud auctorem illum Germanico amicum. Hoc autem opprobrio ei dandum est, quod tam obscuris verbis usus est,

---

[1]) Ann. I 69.
[2]) Ann. I 71.
[3]) Ann. II 5.

quibus moveatur suspicio. Quid enim est illud „*dolo et casibus obiectare*?“

Neque tamen statim a legionibus avocavit Germanicum Tiberius, sed denuo eum magno cum exercitu in Germaniam invadere passus est. Cum vero is post splendidas victorias rediens tempestatibus maritimis magnam accepisset cladem, Tiberius hoc tempus opportunum putavit, ut Germanicum revocaret. „*Crebris epistulis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum: satis iam eventuum, satis casuum. Prospera illi et magna proelia; eorum quoque meminisset, quae venti et fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen et saeva damna intulissent. Se noviens a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem accceptos, sic Suebos regemque Maroboduum pace obstrictum. Posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quoniam Romanae ultioni consultum esset, internis discordiis relinqui. Precante Germanico annum efficiendis coeptis, acrius modestiam eius adgreditur alterum consulatum offerendo, cuius munia praesens obiret. Simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste non nisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. Haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intellegeret* [1].“ Ut primum breviter refellam eos, qui Tacitum hoc loco calumniari Tiberium putent: non dicit Tacitus Germanicum per invidiam esse abstractum, sed intellexisse Germanicum se per invidiam abstrahi. Patet igitur ad hunc quoque locum secutum eum esse fontem, quem supra memoravimus, et fidem ei habuisse. Sed hoc non est calumniari. Quamquam nobis verisimile non videtur sola invidia Tiberium commotum esse, ut revocaret Germanicum, sed primam causam fuisse sumemus metum, quem saepe sequitur invidia. Germanicus autem, qui erat anxius, ut vidimus, occultis in se patrui odiis, nescius

---

[1]) Ann. II 26. cf. Suet. Tib. 52: „*Germanico usque adeo obtrectavit (Tiberius), ut et praeclara facta eius pro supervacuis elevarit et gloriosissimas victorias ceu damnosas reip. increparet.*“

sese metum inicere Tiberio, et amici eius persuasum sibi habebant se per invidiam revocari. Quod vero attinet ad Tiberi epistulas, crediderim equidem causas revocandi, quas attulit Tiberius, esse fictas atque veram causam fuisse metum. Recte quidem dixit optimum esse Germanos internis relinquere discordiis; sed mirum est, postquam per tot annos permisit Germanico, ut bellum gereret in Germanos, tum ne unum quidem annum, quem ab eo petiverat Germanicus, eum concessisse. Si autem voluit quacumque de causa eo ipso tempore belli finem fieri, cur dixit: *„si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae.“* Videtur Tiberius voluisse non modo belli finem fieri, sed, quod maxime eius intererat, Germanicum abstrahi suetis legionibus, quod tum tanta clade in mari accepta facilius potuit. Exspectaverat iam diu, dum haec occasio sibi daretur, sed ne tum quidem revocare eum ausus est, nisi alios ei tribuit honores. Quare consulatum ei promisit. Neque igitur credibile est, quamquam postea reliquit internis discordiis Germanos, hanc fuisse veram causam revocandi Germanicum; sed tamen aliter scribere Tiberius non potuit. Quid? scribere num debebat, quod metueret Germanicum, sese velle eum abstrahere a legionibus? Sed ne Germanicus quidem fidem habuit epistulis, sed credidit se abstrahi, etsi non per metum, per invidiam.

Illo tempore acciderunt res, quae docuerunt, quantis Tiberius circumventus esset periculis et quam multi homines, ubi imperii aemulus exstitisset, cum hoc se coniungerent, ita ut provida Tiberi mens valde sit laudanda et metus a Germanico approbandus. Venerat enim in Etruriam servus quidam Agrippae Postumi, qui *„aetate et forma haud dissimili in dominum erat* [1]),“ seque Agrippam esse et fugisse Tiberi insidias simulaverat. Celerrime hoc vulgabatur et credebatur, atque permulti homines ad eum concurrerunt; neque alia re nisi prudentia sua Tiberius summum effugit periculum.

„Anno XVII. C. Caelio L. Pomponio consulibus Germanicus Caesar a. d. VII. Kal. Jun. triumphavit de Cheruscis Chattisque et Angrivariis quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt. Augebant intuentium visus eximia ipsius species

---

[1]) Ann. II 39.

currusque quinque liberis onustus. Sed suberat occulta formido, reputantibus haud prosperum in Druso patre eius favorem vulgi, avunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ereptum, breves et infaustos populi Romani amores [1])." Haec opinio, Germanicum praematura morte abreptum iri, quin in populo pervulgata fuerit, non est dubium, atque, ut recte vidit Altemoeller, fortasse eo quoque declaranda est, quod iam tum Germanici valetudo tam profligata erat, ut valetudinem restitui posse nemo crederet.

Post triumphum „*Tiberius nomine Germanici trecenos plebi sestertios viritim dedit seque collegam consulatui eius destinavit* [2])." Non desunt, qui haec etiam beneficia Tiberi in Germanicum putent, quibus amicitia inter utrumque probetur. Sed quotusquisque tum ignarus erat, donativi illius, quamvis nomine Germanici distribueretur, auctorem fuisse Tiberium? Quare non mirum est, quod pergit Tacitus: „*nec ideo sincerae caritatis fidem assecutus amoliri iuvenem specie honoris statuit struxitque causas aut forte oblatas arripuit* [2])." Quod interpretari aliter non possumus nisi hoc modo: quia non potuit Tiberius, quamvis operam daret, populum decipere et fidem sincerae caritatis in Germanicum assequi, intellexit, si ita esset, Germanici favorem non apud legiones modo, sed etiam apud populum Romanum sibi futurum esse summo periculo, et statuit Germanicum ab urbe removere. Quamobrem „*struxit causas aut forte oblatas arripuit*," id quod in medio reliquit Tacitus. Haec omnia tam clara sunt, ut mirer eos, qui aliter interpretari ea voluerint. Quare facere non possumus, quin simulationem quandam in Tiberio fuisse statuamus, cum diceret apud senatum „*nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi: nam suam aetatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse* [3])." Sed debebat se gerere ita; neque enim palam dicere ei licebat, quibus causis re vera commotus Germanicum ad motum illum componendum destinaret. „*Tum decreto patrum permissae Germanico provinciae, quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis, qui*

---

[1]) Ann. II 41.
[2]) Ann. II 42.
[3]) Ann. II. 43.

sorte aut missu principis obtinerent [1]).“ *„Sed Tiberius demoverat Suria Creticum Silanum per affinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum eius, pacta erat, praefeceratque Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum insita ferocia a patre Pisone* [1]).“ Haec nonne perlucida sunt? Si non demovisset Silanum de Suria Tiberius, metuendum ei erat, ne cum illo coniunctus Germanicus in idem periculum se adducturus fuerit quod antea; sin autem pro illo Pisonem provinciae praefecit, a tali coniuratione tutus erat, *„quod Piso liberos principis ut multum infra despectabat* [1]).“ Sed quid Altemoeller? Tantum procedit in criminando Tacito, ut Silanum Creticum per affinitatem tum Germanico connexum neget idque calumniandi causa a Tacito allatum dicat: [2]) Ut ex Tacito (III 29) consequens sit, Neronem, Germanici filium, anno XX. in matrimonium duxisse Drusi filiam, non Silani: quam antea esse mortuam nusquam tradi. Sed iam anno XVII. Drusum et Germanicum tam familiariter inter se vixisse, ut Tacitus fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussos laudet. *„Ein Umstand, der um so schwerer in die Wagschale fällt, als Drusus an sich zwar wenig liebenswürdig war, aber über die Hand einer begehrenswerten Tochter zu verfügen hatte.“* Praeterea Germanicum in Asiam proficiscentem de via deflexisse, ut visitaret Drusum in Dalmatia, et fortasse etiam, ut valere iuberet *„futuram nuriculam,“* cum non constet convenisse eum cum Silano: hoc autem, si amici aut affines fuissent, vehementer cupiendum fuisse utrique per septem annos disiuncto. *„Ebensowenig lesen wir, dass Germanicus die Entfernung seines angeblichen Verwandten Silanus betrauert habe oder dass dieser in Rom die Sache des Prinzen vertreten hätte.“* Itaque cogi nos, ut sumamus, cum Germanicus proficisceretur in Orientem, non iam Silani filiam, sed Juliam, Drusi filiam, fuisse Neroni sponsam. Putat ergo Altemoeller sponsam fuisse Neroni filiam Silani, sed non iam tum, cum in Orientem proficisceretur Germanicus. Quid est cur? num antea erat mortua? Traditur hoc non magis quam illud, mortuam eam esse post

---

[1]) Ann. II 43.
[2]) pag. 15.

hoc tempus ante annum XX. [1]). Unde scit Altemoeller antea non concordes inter se vixisse Germanicum et Drusum? Unde scit Drusi filiam fuisse „*expetendam*“? Deinde ut non constat convenisse tum Germanicum et Silanum, ita ne id quidem constat utrumque tum non convenisse. Postremo quid sibi vult, cum dicit: „*die Sache des Prinzen in Rom vertreten*?“ Mihi videtur nihil aliud habuisse Altemoeller, quod negaret affinitatem illam, nisi quia sententiae eius haec obstabat, cum nollet Silanum de Suria demotum esse propter affinitatem Germanici.

Sed aptum videtur hoc loco pauca addere de Pisone, de quo multum inter se abhorrent viri docti. Primum in Annalibus in eum incidimus, ubi Tacitus Augustum supremis sermonibus tractasse tradit, quinam viri principem locum adipisci possent, et L. Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum dixisse. Nam „*pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere.*“ Deinde nostro loco Tacitus illum vix Tiberio concessisse dicit. Quae omnia affirmant illud „*ingenio violentum et obsequii ignarum.*“ Attamen Tiberio familiariter usus est, ut intellegimus ex epistula brevi ante mortem ad Tiberium scripta, ubi se Tiberi amicum appellat [2]). Atque etiam hoc negat Altemoeller, cum dicit [3]): „*Unter Tiberius verkehrte er zwar am Hofe, aber ein aufrichtiges auf gegenseitiges Wohlwollen gegründetes Freundschaftsverhältnis konnte begreiflicher Weise zwischen ihm und dem Kaiser nicht bestehen. Benutzte er doch jede Gelegenheit, um den Monarchen anzugreifen.*“ Nam cum senatus, quia Imperator se afuturum dixisset, consultaret de negotiis proferendis, censuisse Asinium Gallum et plures patres „*nihil satis illustre aut ex dignitate populi Romani nisi coram et sub oculis Caesaris eoque conventum Italiae et adfluentis provincias praesentiae eius servanda esse.*“ Pisonem autem dixisse „*ob id res magis agendas, ut absente principe senatum et equites possse sua munia sustinere decorum rei publicae foret.*“ Non video, quomodo

---

[1]) Obiisse eam sponsam Neronis conicere possumus ex hac inscriptione: JUNIA SILANI (*f. spon*) SA NERONIS CAES (*aris hic sita est*) *cf.* Annali dell' Instituto di corrispondenza archeologica XXXVIII pag. 126.

[2]) Ann. III 16.

[3]) pag. 16.

ex hac re efficiatur Pisonem non amicum fuisse Tiberio. Sed pergit Altemoeller: in Marcelli causa cum Tiberius proclamasset, *„se quoque laturum sententiam palam et iuratum, quo ceteris eadem necessitas fieret,“* Pisonem interrogasse: *„quo loco censebis Caesar? si primus, habeo quod sequar: si post omnis, vereor ne imprudens dissentiam.“* Ne hoc quidem docet Pisonem non fuisse Tiberio amicum, praesertim cum odisset adulatores Tiberius. Mirum igitur videtur, quod Altemoeller [1]): *„So zeigt er,“* inquit, *„nirgends die Gesinnung eines wahren Freundes oder gar die eines feilen Hofschranzen, sondern überall tritt er hervor als der von unbändigem Hochmut und Trotz erfüllte aristokratische Senator, der des Fürsten Ansprüche auf den Thron mit Stolz verwarf und den Kaiser selbst als einen mächtigen Plebejer betrachtete, den ein Atem zum Imperator gemacht und den ein Atem auch stürzen konnte.“* Sed quod in epistula illa paulo ante mortem scripta Piso se Tiberi amicum appellet, quia pugnat cum Altemoelleri opinione, minimi esse momenti; nam facile fiere posse, ut Piso praemetuens liberis suis innocentibus simulaverit amicitiam. Sed hoc si ita fuisset, valde moleste tulisset Imperator neque tam benigne epistulam accepisset, ut fecit. Neque Piso, si ita se gessisset, ut vult Altemoeller, et despexisset Tiberium, tantum umquam progressus esset, ut adularetur et amicum Tiberi sese apellaret. Deinde etiam amicos, cum monerent, ut Piso provinciam suam armis repeteret, accepimus locutos: *„est tibi Caesaris favor [2]).“* Accedit quod Piso post Germanici mortem, ut infra videbimus, ad Tiberium misit et litteras, per quas Germanicum incusaret [3]), et filium suum [4]), ut favorem Imperatoris reconciliaret. Num putamus hoc eum facturum fuisse, si despexisset Tiberium aut si non amicus illi fuisset? Hunc virum ingenio violentum, sibi deditum Suriae praefecit Tiberius: *„neque hic dubium habebat se delectum, qui Suriae imponeretur ad spes Germanici coërcendas.*

---

[1]) pag. 17.
[2]) Ann. II 77.
[3]) Ann. II 78.
[4]) Ann. III 8.

Credidere quidam data et a Tiberio occulta mandata [1]." Nihil certi accepimus: non dicit Tacitus dedisse Tiberium occulta mandata, sed credidisse hoc quosdam; non delectum esse Pisonem ad coërcendas Germanici spes, sed hoc non dubium habuisse Pisonem. Sed quales erant spes illae Germanici? Atque si revera occulta mandata dedit Pisoni Tiberius, qualia erant? Multa hic obscura manent, atque valde est dolendum, Tacitum non clarioribus verbis haec expressisse. „*Et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi* [1];" quod mirum nobis videri non potest, si cogitamus, quantae fuerint inimicitiae et aemulationes inter Liviam et Agrippinam. Addit Tacitus divisam fuisse aulam tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. „*Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat; Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat* [2]. *Et coniunx Germanici Agrippina fecunditate ac fama Liviam, uxorem Drusi, praecellebat. Sed fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi.*" Quibus ex verbis nonne satis elucet amasse Tiberium filium suum Drusum, non amasse filium adoptivum Germanicum? Attamen et hoc loco Tacitum refellere conatur Altemoeller et bene convenisse inter Germanicum et Tiberium dicit, cum docere studeat Tiberio non fuisse o d i u m in Germanicum. „Quid," inquit, „commovere potuit principem, ut odisset filium adoptivum? Utrum quod maioribus praeditus erat virtutibus hic quam filius naturalis Drusus, qui urbano luxu lasciviebat, an quod civili animo erat et magna comitate et spem faciebat plebi, si rerum potitus esset, sese redditurum esse libertatem? An eum offendebat, quod „*claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens, cum Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videretur*?" An ira eum affecerunt virtutes Agrippinae, quae fecunditate et fama Liviam Drusi uxorem praecellebat?" „*Wahrlich*

---

[1]) Ann II 43.

[2]) Contra Suetonius (Tib. 52): „*filiorum neque naturalem Drusum neque adoptivum Germanicum patria caritate dilexit, alterius vitiis infensus.*"

solche Gründe wären wohl geeignet gewesen, einen Mann von hinlänglicher Beschränktheit mit Hass zu erfüllen. Ein solcher ist indes der Kaiser nach den Annalen gewiss nicht [1].“ At manifestum est metu haec affecisse Tiberium, quod non vidit Altemoeller: ex metu autem facile oriri potuit odium.

Eodem tempore, quo provinciae Orientis permissae sunt Germanico, Drusus in Illyricum missus est, ut „*suesceret militiae studiaque exercitus pararet* [2].“ Nam, ut ait Tacitus, „*Tiberius se tutiorem rebatur utroque filio legiones obtinente.*“ Haec quoque verba a multis false intelleguntur. Putant enim effici ex hoc loco, ut Tiberius non metuerit Germanicum. Sed si respicimus antecedentia verba: „*ut Drusus studia exercitus pararet*,“ patet tutiorem se ratum esse Imperatorem utroque filio legiones obtinente propterea, quod, si alter legionibus abuteretur, in altero i. e. in Druso praesidium sibi futurum esse sperabat. Si ita sese res non habuissent fuissetque amor inter Tiberium et Germanicum, nonne satis praesidii ei fuisset magnus favor Germanici? Cur igitur tutior sibi visus est, cum Drusus studia militum quaerebat?

Anno XVIII. Germanicus consulatum iniit „*apud urbem Achaiae Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram viso fratre Druso in Delmatia agente.*“ „*Hinc ventum est Athenas foederique sociae et vetustae urbis datum, ut uno lictore uteretur. Excepere Graeci quaesitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque praeferentes, quo plus dignationis adulatio haberet.*“ [3]. „*Petita inde Euboea tramisit Lesbum, ubi Agrippina novissimo partu Juliam edidit. Tum extrema Asiae Perinthumque Propontidis angustias et os Ponticum intrat, cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi; pariterque provincias internis certaminibus aut magistratuum iniuriis fessas refovebat* [4].“ Quae si diligentius legimus, offendimur verbis „*cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi.*“ Nam praeter Byzantium, quod haud scio an potuerit implere

[1]) pag. 8.
[2]) Ann. II 44.
[3]) Ann. II 53.
[4]) Ann. II 54.

cupidinem illam, qui erant illi veteres loci aut quibus rebus erant celebrati? Mihi prima causa illos locos adeundi videtur Germanico fuisse illa, quam Tacitus affert quasi rem minorem, ut provincias fessas refoveret, cum vero cupido antiquitates noscendi ab illo praetenderetur. Qua ex simulatione intellegimus iam aliam ei fuisse causam, quam scriptores, qui a Germanico stabant, proferre non possent, atque eam, quod vellet sibi parare provinciarum favorem: ita Athenis quoque uno lictore usus est, ut Graeci laudarent comitatem suam. Quae igitur fecerat apud legiones Germanicas, quae fecerat Romae, quam ob causam a Tiberio revocatus et in Orientem missus erat, haec eadem tum conatus est etiam in Oriente, augere favorem suum.

In hoc eodem itinere appulit ad Colophona, „*ut Clarii Apollinis oraculo uteretur* [1]);“ et „*ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculi, maturum exitium cecinisse.*“ Dicit Tacitus „*ferebatur*,“ sed si verum erat, etiam hoc referendum est ad miseram Germanici valetudinem. Pergit Tacitus [2]): „*At Cn. Piso, quo properantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium turbido excessu exterritam oratione saeva increpat, oblique Germanicum perstringens, quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus extinctos, sed conluviem illam nationum comitate nimia coluisset.*“ Quid sibi velint verba illa: „*quo properantius destinata inciperet,*“ non satis clarum est. Quaenam erant illa destinata? facile cogitari potest de occultis mandatis Tiberi, quae supra memoravimus. An erant ea, quae ad efficienda se delectum habuit Piso? Voluit autem Piso, cum se delectum haberet ad spes Germanici coërcendas, quacumque ratione impedire, quominus augeretur Germanici favor. Quamobrem apud Athenienses reprehendit Germanicum, quod „*conluviem illam nationum comitate nimia coluisset.*“ Ad hoc quoque referendum est, quod dicit Tacitus: apud Rhodum insulam orta tempestate Pisonem ex discrimine ereptum esse a Germanico quamquam ‚*haud ignaro, quibus insectationibus petitus foret.*‘ Manifestum est ad hoc scribendum Tacitum usum esse auctore, qui familiariter usus Germanico eumque in Orientem comitatus est. Certe enim illud: „*insectationes*“ de Germanici sententia

---

1) Ann. II 54.
2) Ann. II 55.

adhibitum est. Quare illud quoque clarius nobis fit, quod supra in medio reliquimus, Germanicum in Orientem missum esse, ut „*dolo simul et casibus obiectaretur.*“ Dolum enim et casus, quibus obiectaretur Germanicus, intellexisse videtur auctor insectationes, quas timebat Germanicus. Quamquam Piso nihil aliud fecit contra Germanicum, nisi favorem eius labefactabat. Neque autem utique laudanda est via, qua Piso adipisci studuit, id quod sibi proposuerat. Nam „*postquam Suriam et legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium iuvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret, locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi parens legionum haberetur.*“ Quod autem cum fecisset Agrippina, Tiberius valde improbarat, quod summa sollicitudine eum affecerat, idem tum fecit Plancina, „*neque se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse, in Agrippinam, in Germanicum contumelias iacere, quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis, quod haud invito Imperatore ea fieri occultus rumor incedebat.*“ Quem rumorem falsum fuisse infra videbimus, ubi de damnato Pisone agemus.

Quibus rebus neglectis Germanicus statim in Armeniam profectus est, ubi Zenonem, Polemonis regis Pontici filium, regem fecit et „*in urbe Artaxata adprobantibus nobilibus circumfusa multitudine insigne regium capiti eius imposuit* [1].“ Quo tempore monetam quoque percuti iussit, quae in altero latere ostendebat Germanici caput, in altero Germanicum Zenoni coronam tribuentem [2], atque, ut ait Schiller: „*er verletzte hierdurch in eclantanter Weise ein kaiserliches Reservatrecht* [3].“ Tum

---

[1]) Ann. II 56.

[2]) Cohen, *Déscription historique des monnaies frappées sous l'empire romain. Paris 1880. I p. 225. 6.*

[3]) Gesch. d. röm. Kaiserzeit I pag. 274. cf. Mommsen, Röm. St. R. I p. 803. „*Eine gleichartige Münze mit dem Kopf des Germanicus ist allem Anschein nach wider den Willen der Regierung in Usurpation des Bildnisrechts geschlagen,*“ et notam eiusdem paginae quartam: „*Sie ist von Silber und von nicht römischer Fabrik, offenbar auf Germanicus Geheiss im Osten geschlagen. Da sie nur in einem Exemplare bekannt ist, dürfte sie von der Regierung unterdrückt worden sein.*“

Cappadocia provincia facta est: et „*quaedam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur.*“ Nonne hoc fecisse videtur Germanicus, quod favorem quaerebat? Idem effici putaverim ex verbis „*cuncta socialia prospere composita,*“ cum dicit Tacitus [1]): „*cunctaque socialia prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant ob surperbiam Pisonis, qui iussus partem legionum ipse aut per filium in Armeniam ducere utrumque neglexerat.*“ Fuit Germanico maius imperium quam Pisoni: cur Piso illi non oboedivit? Non sufficit, quod dicit Tacitus eum fuisse „*obsequii ignarum.*“ Potius equidem putaverim Pisonem, qui delectum se habebat, ut Germanici spes coërceret, receptum habuisse aut habere sibi visum esse in Tiberio aut in Livia, ut auderet tantam immodestiam. Neque enim ignorare debebat, quanta severitate omnia Tiberius gubernaret, et poenam tali immodestiae defuturam non esse, si contra Tiberi voluntatem haec faceret. Deinde Cyrri Germanicus et Piso convenerunt, sed „*discesserunt apertis odiis,*“ praesertim cum Germanici iram amici incitavissent; nam „*accendendis offensionibus callidi intendere vera, adgerere falsa ipsumque et Plancinam et filios variis modis criminari* [1]).“ Miramur quid habuerint amici, quod discordes redderent Pisonem et Germanicum. Verisimile est metuisse eos, ne impedimento esset Piso iis, quae voluerunt aut cum aut pro Germanico. Quare sine dubio id egerunt, ut Pisonem provincia demoverent, id quod postea assecuti sunt, ut perficerent, quae sibi proposuerant. Voluerunt igitur quiddam, quod Pisone provinciam administrante assequi non possent, quod Piso rei publicae et Imperatori obnoxium putaret.

Eodem anno Germanicus cum Artabano Parthorum rege foedus fecit et precibus illius obsequens Vononem e Suria amovit. *Datum id,* ut ait Tacitus, *non modo precibus Artabani, sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus ob plurima officia et dona, quibus Plancinam devinxerat* [2]).“ Quod non est cur dubitemus, quoniam fontes huius loci vidimus fluxisse a Germanici amicis.

Anno XIX. „***M. Silano L. Norbano consulibus Germanicus in Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis. Sed cura***

---

[1]) Ann. II 57.
[2]) Ann. II 58.

provinciae praetendebatur levavitque apertis horreis pretia frugum multaque in vulgus grata usurpavit: sine milite incedere pedibus intectis et pari cum Graecis amictu, P. Scipionis aemulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Poenorum bello, accepimus [1])." Hic quoque non vera causa fuisse videtur cupido antiquitates cognoscendi, sed cura provinciae, quam, ut ait Tacitus, praetendebat Germanicus. Certe mirum est, quod cupiditas antiquitates noscendi ducebat eum in regiones ad bellum et ad commercium maxime idoneas, ut erant Aegyptus et Bosporos. Cur non visitavit Delphos aut Plataeas aut Marathonem aut Spartam aut Corinthum aut Delum, sed ipsas Propontidis angustias et os Ponticum? Voluit sine dubio Germanicus etiam in Aegypto favorem populi sibi parare, quod levando pretia frugum facile assequi potuit, praesertim cum Alexandria inopia et fame premeretur [2]). Fortasse etiam Graeco vestimento, quo erat indutus, se commoturum esse animos speravit. Quare „*Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti non sponte principis Alexandriam introisset* [1])." Nam vetuerat Augustus equites Romanos aut senatores Aegyptum ingredi, „*ne fame urgueret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus insedisset.*" Atque contra hoc vetitum fecerat Germanicus. Quare quis est, quin summo iure a Tiberio illum vituperatum esse concedat [3])? Quamquam autem Tacitus eo, quod non reprehendit, illam vituperationem probavit, Altemoeller tamen ita refert, quasi crimini eam dederit Tiberio. Quid enim aliud vult, cum dicit: „*denn nicht aus Hass, nicht weil er Alles an Germanicus zum Argen deutete, tadelte er ihn*"?

---

[1]) Ann. II 59.

[2]) cf. Suet. Tib. 52. Joseph. c. Ap. II 5.

[3]) Attamen Peter (pag. 181) dicit haec: „*Wir können jedoch diesen Vorwurf abgesehen davon, dass er seinen Grund jedenfalls in einer kleinlichen Missgunst des Tiberius hatte, auch formell nicht für begründet halten, da wir annehmen müssen, dass der dem Germanicus erteilte Auftrag auch Aegypten umfasste.*" Quae si ita fuissent, Tacitus non addidisset vetitum illud Augusti, quo allato concedit merito vituperatum esse Germanicum.

Si autem pergit: „*schenkte er doch fast gleichzeitig seinen* ***Anordnungen in Armenien*** *ungeteilten Beifall, liess ihm den* ***Triumph*** *beschliessen . . . . .*,“ ne hoc quidem benevolentiae erga Germanicum ducendum est. Etsi enim Tiberio auctore „*decrevere patres, ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent*,“ hoc puto maxime Drusi gratia factum esse atque Germanico eundem honorem tributum esse solum idcirco, ne hic postpositus illi aut neglectus videretur. Atque si Tiberius „*laetior erat, quia pacem sapientia firmaverat Germanicus, quam si bellum per acies confecisset*,“ hoc declarandum est eo, quod Tiberi erat, quantum potuit, rei publicae causa bella vitare.

„*At Germanicus Aegypto remeans, cuncta, quae apud legiones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognoscit* [1].“ Quae si Piso fecerat, manifestum est eum egisse contra leges, quoniam Germanico inferior erat eiusque dicto audientem et oboedientem esse eum oportebat, nisi forte putamus Tiberium cum eo consensisse. Gravibus deinde in se contumeliis commotus „*Piso abire Suria statuit. Mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit Piso votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochensium plebem per lictores proturbat. Tum Seleuciam degreditur, opperiens aegritudinem, quae rursum Germanico acciderat. Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti; et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum,* ***semusti cineres ac tabo obliti aliaque malefica, quis creditur animas numinibus infernis sacrari. Simul missi a Pisone incusabantur ut valetudinis adversa rimantes*** [2].“ Non dicit Tacitus

---

[1]) Ann. II 69.

[2]) Tac. Ann. II 69. cf. Dio 57, 18. *ἀπέθανε δὲ ἐπ' Ἀντιοχείᾳ, ὑπό τε τοῦ Πίσωνος καὶ ὑπὸ τῆς Πλαγκίνης ἐπιβουλευθείς· ὀστᾶ γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐν ᾗ ᾤκει, κατορωρυγμένα καὶ ἐλασμοὶ μολίβδινοι ἀράς τινας μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες ζῶντος ἔθ' εὑρέθη.*“ Suet. Cal. 1. „*diuturno morbo Antiochiae obiit, non sine veneni suspicione.*“

Joseph, Ant. Jud. XVIII 25. „*καὶ γὰρ γενόμενος κατὰ τὴν ἀνατολὴν καὶ πάντα διορθώσας* (i. e. Germanicus) *ἀνῃρέθη φαρμάκῳ ὑπο Πίσωνος, καθὼς ἐν ἄλλοις δεδήλωται.*“

Germanicum a Pisone accepisse venenum, sed habuisse eum hoc sibi persuasum. Quid autem verisimilius est quam ab amicis adductum esse Germanicum, ut crederet, ita rem se habere? Iidem quoque quin illas res, quae reperiebantur in Germanici domo, illuc contulerint, dubium mihi non videtur. Cur enim a Pisone allatas eas putamus? Sive venenum dederat hic sive non dederat, certe numquam fuit tam stultus, ut talibus nugis in se adduceret suspicionem. Quod autem putat Hertzberg [1]: *„dass Piso und Plancina von ihrem wilden Hasse getrieben in der Art des dummen und fanatischen Aberglaubens dieser Zeit und dieser vornehmen römischen Gesellschaft vermeintliche Zaubermittel angewendet hätten“*: hanc superstitionem potius referam ad Germanicum, apud quem et omina et oracula et somnia multum valuisse in Annalibus cernimus. Quare facile amici, quorum multum intererat Pisonem in suspicionem vocare, adducere eum poterant, ut crederet a Pisone se venenum accepisse, cum nugas illas in domum congererent et a Pisone congestas dicerent. Quod autem *„missi a Pisone incusabantur, ut valetudinis adversa rimantes,“* nos quidem non offendimur, cum, qualis esset Germanici valetudo, Pisonis multum interfuisse haud nesciamus. Haec omnia *„Germanico haud minus ira quam per metum accepta.“* *„Quare componit epistulas, quis amicitiam ei renuntiabat: addunt plerique* [2] *iussum provincia decedere* [3].“ Ignorasse videtur Tacitus, utrum iussus Piso decesserit provincia an sua sponte. Atque facile adducimur et nos, ut credamus sua sponte eum decessisse, quoniam paulo ante scriptum vidimus, Pisonem abire Suria statuisse, sed detentum adversa Germanici valetudine et degressum esse Seleuciam, qui erat Antiochiae portus. Attamen iussum eum esse concedendum

---

[1] pag. 167.

[2] Omisit hoc Suetonius, qui dicit haec: (Cal. 3) *„ut Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas divexanti non prius succensere in animum induxerit quam veneficiis quoque et devotionibus impugnari se comperisset; ac ne tum quidem ultra progressus, quam ut amicitiam ei more maiorum renuntiaret.“*

[3] Ann. II. 70.

est; nam, ut ait Tacitus, „*Piso non moratus ultra navis solvit moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Suriam aperuisset* [1].“ Si enim ultro abiit, quod haud scio an non licuerit, certe non ignarus erat sese non habere potestatem provinciae repetendae. Sin autem iussus est a Germanico, oboedire debebat, et provincia decedere, sed post mortem illius regredi licere sibi putabat, cum non haberet Germanicus potestatem demendae provinciae, quam tribuerat Imperator. Deinde postea eum monebant centuriones, ut repeteret provinciam „*non iure ablatam.*“ Atque cum consultaret cum amicis Piso, quid esset faciendum, M. filius dixit „*ademptione provinciae satisfactum inimicis.*“ Unde patet iussum esse Pisonem a Germanico decedere Suria. Perfecerant autem hoc amici Germanici atque id calumniando Pisonem et veneficii eum incusando. Quid enim habuit Germanicus, quod Pisoni amicitiam renuntiaret aut provincia decedere eum iuberet? Nonne potius putamus epistulas illas eum scripsisse commotum ab amicis, qui timebant, ne mortuo Germanico in se praesidio privatos vindicaret Piso? Illud autem: „*Piso abire Suria statuit*“ hausisse Tacitus videtur ex auctore in Germanicum benevolo, qui ut purgaret Germanicum, Pisonem sua sponte decessisse tradidit. In medio enim relinquendum est, utrum habuerit Germanicus potestatem adimendae provinciae necne.

Efficitur autem ex sequenti capite [2]) Germanicum, quamvis metuerit Pisonem, non credidisse consentire cum illo Tiberium; immo vero paulo ante mortem suam: „*Fingentibus scelesta mandata,*“ inquit, „*aut non credent homines aut non ignoscent*“ et „*referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim.*“ Cum persuasum sibi haberet a Pisone venenum sese accepisse, multum tamen aberat, ut Tiberium putaret auctorem. Sed paulo ante mortem Germanicus oravit uxorem suam, ut „*exueret ferociam, saevienti fortunae submitteret animum, neu regressa in urbem aemulatione potentiae validiores irritaret* [3]).“ Quibus verbis non modo

---

[1]) Ann. II 70.
[2]) Ann. II 71.
[3]) Ann. II 72.

Tacitus, sed etiam Germanicus ipse concessit, fuisse in Agrippina aemulationem potentiae. „*Haec enim*," ut ait Tacitus, „*palam dixit: alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio* [1])." Unde hoc scit Tacitus, quod secreto dixit Germanicus? Cognoscimus et hic fontes eius. Ea quae tum dixerat Germanicus, nemo scire potuit nisi Agrippina, quae vereor ne non cum aliis communicaverit. Sed credebant amici Germanicum ostendisse metum ex Tiberio. Si autem credebant amici in Germanico fuisse metum Tiberi, et ipsi illum metuere debebant; et erat iis, ut vidimus, quod metuerent, cum iuvissent Germanicum, ut amorem populi sibi conciliaret. Paene non sua sponte videtur Germanicus quaesivisse animos, sed incitatus ab amicis et imprimis ab Agrippina, quam moribundus monuit, „*ne aemulatione potentiae validiores irritaret.*" Inde quoque intellegi potest „*anxiam sui et infelici fecundidate fortunae totiens obnoxiam* [2])" fuisse Agrippinam, cum proficisceretur Romam.

Mortuus est Germanicus a. d. VI. Id. Oct. [3]) anni XIX. annum agens quartum et tricesimum. „*Funus sine imaginibus et pompa per laudes ac memoriam virtutum eius celebre fuit.*" „*Corpus, antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur, praetuleritne veneficii signa parum constitit; nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur* [4])." Negat igitur Tacitus ipse constitisse, num praetulisset corpus signa veneficii; attamen a multis crimini ei datum est, quod tradidisset Germanicum a Pisone veneno interfectum. Perspicuum est hoc falsum esse: Tacitus autem, qui sibi proposuerat scribere sine ira et studio, tradidit ea, quae invenit, et in medio reliquit. Etsi ipse credidit Pisonem fuisse interfectorem Germanici, hoc tamen non dixit, sed integer esse magnopere studuit. Atque iuvat audire ea quoque, quae ad hunc locum profert Altemoeller [5]): „*Hier sieht sich der Autor in die unangenehme Lage versetzt,*

---

[1]) Ann. II 72.
[2]) Ann. II 75.
[3]) cf. Calend. Antiat. Orelli-Henzen J. L. S. C. 6445.
[4]) Ann. II 73.
[5]) pag. 24.

den bislang fertiggestellten Bau der schweren Anklage, das Piso und Plancina im Auftrage der kaiserlichen Familie den Germanicus vergiftet hätten mit einem Schlage zertrümmern und dem folgenden Neubau den Boden entziehen zu müssen durch das kleinlaute Geständnis: praetuleritne . . . ." Quam stultum ducit Tacitum! Si enim voluit hic in suspicionem vocare Pisonem, cur non omisit haec pugnantia cum sua sententia aut tradidit eadem, quae Suetonius? „*Germanicus obiit non sine veneni suspicione. Nam praeter livores, qui toto corpore erant, et spumas, quae per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est: cuius ea natura existimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat* [1])." Quae si scripsisset Tacitus neque ea, quae scripsit, facile Pisoni finxisset veneni crimen. Sed quantumvis quaeram, apud Tacitum invenire nequeo „*den bislang fertig gestellten Bau der schweren Anklage, dass Piso und Plancina den Germanicus vergiftet hätten.*" Neque enim usquam hoc affirmat Tacitus. Atque etiam magis Altemoeller criminatur Tacitum: „*Diese Erklärung [praetuleritne . . . . parum constitit] ist um so glaubwürdiger, je offenbarer der Schriftsteller wünscht, dass wir mit den römischen Aristokraten von dem Gifttode seines Lieblings überzeugt sein sollen, an den er im Grunde selbst nicht glaubt.*" In contrarium igitur vertit hoc Altemoeller. Cum enim hic putet tradidisse Tacitum a Pisone venenum accepisse Germanicum, sed non ipsum credidisse, nos cognovimus credidisse ipsum quidem, sed non tradidisse.

Post mortem Germanici Cn. Sentius provinciam suscepit statimque mulierem „*infamem veneficiis ea in provincia et Plancinae percaram, nomine Martinam, in urbem misit* [2])." Piso autem apud Coum insulam accepto nuntio mortui Germanici „*caedit victimas, adit templa neque ipse gaudium moderans et magis insolescente Plancina, quae luctum amissae sororis tum primum laeto cultu mutavit* [3])." Quid? Piso si fuisset auctor Germanici mortis, itane se gessisset? Minime; sed cum ille

---

[1]) Suet. Cal. 1.
[2]) Ann. II 74.
[3]) Ann. II 75.

mortuus esset morbo, facile intellegendum est hunc magno affectum esse gaudio, quod sibi inimicissimus atque Imperatori noxius, ut ipse putabat, imperii aemulus e vita decessisset. Neque minus Plancina habebat, cur gauderet, quod Agrippina sibi maxime invisa tanta affecta esset clade. Interea venerunt centuriones, qui orarent Pisonem, ut rursus susciperet provinciam, cum ei faverent militum animi. Post quae cum Cn. Piso cum amicis suis consuleret, quid esset faciendum, M. filius monuit, ne in provinciam, rediret. Provinciam ei ademptam esse a Germanico neque posse repeti nisi bello civili, quod nullo modo probaretur Tiberio. „*Nihil adhuc inexpiabile admissum neque suspiciones imbecillas aut inania famae pertimescenda. Discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non poena, et ademptione provinciae satisfactum inimicis* [1].“ Persuasum igitur sibi habebat ea, quae fecisset usque ad id tempus, probari Tiberio, etiam id, quod Germanici imperio non paruisset et cuncta, quae apud legiones et urbes ille iusserat, abolevisset vel in contrarium vertisset. Tamen Pisoni persuasit Domitius Celer, ut provinciam armis repeteret, cum diceret Pisonem, non Sentium a Tiberio provinciae praepositum esse. *Si quid hostile ingrueret, quem iustius arma oppositurum quam qui legati auctoritatem et propria mandata accepisset*? [2])“ Verba „*propria mandata*“ nonne in memoriam nobis redigunt „*occulta mandata,*“ quae Pisoni a Tiberio data multi crediderunt? Attamen manifestum est nostro loco nihil aliud intellegendum esse nisi provinciam ei tributam a Tiberio ipso Potestne fieri, ut ex hoc loco, quem haud scio an ex Domitii ipsius aut alius cuiusdam commentariis hauserint auctores, collegerint illa, cum haec „propria mandata“ intellegerent mandata a Tiberio contra Germanicum data? Sed in medio hoc relinquam. Pergit Tacitus Domitium facere haec dicentem: „*an festinamus cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae ac vulgus imperitum primo rumore rapiant? Est tibi Augustae conscientia, est tibi Caesaris favor, sed in occulto; et perisse Germanicum nulli iactantius maerent quam qui maxime laetantur.*“ Quae si legimus,

---

[1]) Ann. II 76.
[2]) Ann. II 77.

vix dubitare possumus, quin fluxerit hic locus ex fonte, cuius auctor familiariter Pisone usus est. Quanam re motum Tacitum talia finxisse putamus? Quamquam Altemoeller hanc dicit „*eine Verdächtigung, welche der Historiker dem Domitius in den Mund gelegt zu haben scheint, um sie nicht selbst vertreten zu brauchen* [1]).“ Mihi quidem dubium non videtur, quin verba illa Domitii hausta sint ex commentariis aut epistulis quibusdam illorum temporum. Ex his autem consequens est Tiberi favorem, Augustae conscientiam fuisse Pisoni. Si igitur Piso se delectum habebat ad spes Germanici coërcendas, Liviam auctorem putavit, non Tiberium, cuius ei non erat conscientia: quamobrem fieri non potest, ut „propria mandata,“ quae memoravit Domitius, sint eadem atque „occulta mandata,“ quae a Tiberio Pisoni data quidam crediderant. Sed qualis erat haec conscientia? fortasse referenda est ad illud, quod Plancinam monuerat Augusta, ut „*aemulatione muliebri Agrippinam insectaretur.*“

Priusquam autem regrederetur Piso in provinciam, ad Tiberium litteras misit [2]), quibus „*incusavit Germanicum luxus et superbiae; seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide qua tenuerit repetivisse.*“ Dolendum est, quod ignoramus, quibus verbis conscripta fuerit haec epistula, id quod est maximi momenti. Tantum autem comperimus, incusari Germanicum et amicos eius, quod studuissent rebus novis. Ex iis autem, quae Piso cum amicis consultaverat, intelleximus Pisonem persuasum sibi habuisse usque ad id tempus sese recte fecisse atque rectum iustumque esse, id quod sibi proposuisset, provinciam repetere. Quare fieri non potest, ut ficta sint ea, quae ad Tiberium scripsit, sed elucet protulisse eum animi iudicium. Post haec cum appulisset ad Suriam, Piso bellum civile incepit, quo victus et quamquam cum Asiae regulis coniunctus provincia decedere coactus est. „*Nihil aliud Pisoni quam naves et tutum in urbem iter concessum est* [3]).“ *At Romae postquam Germanici valetudo percrebuit, cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius afferebantur, dolor ira, et erumpebant questus. Ideo nimirum in extremas terras relegatum, ideo Pisoni per-*

---

[1]) pag. 27.
[2]) Ann. II 78.
[3]) Ann. II 81.

missam provinciam; hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones: vera prorsus de Druso seniores locutos; displicere regnantibus civilia filiorum ingenia neque ob aliud interceptos, quam quia populum Romanum aequo iure complecti reddita libertate agitaverint [1]).“ Hi erant rumores, ex quibus efficitur magnum fuisse Germanico favorem, nullum Tiberio, ita ut populus inclinaret, ut auctorem mortui Germanici illum opinaretur. Quos rumores cum tradidit Tacitus, non ideo tradidit, ut se idem sentire significaret, sed quia historiarum scriptoris esse putabat referre etiam rumores. „*Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatus consultum sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus; passim silentia et gemitus; nihil compositum in ostentationem: et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant* [1]).“ Ne haec quidem, quae Tacitum hausisse apparet ex illorum temporum auctoribus, dubitanda sunt propter magnum Germanici fovorem,

Forte negotiatores, qui ex Oriente ante mortuum Germanicum profecti erant, laetiora de eius valetudine tulerunt, quae populum magno afficerent gaudio. „*Nec obstitit falsis Tiberius, donec spatio et tempore vanescerent; et populus quasi rursum ereptum acrius doluit* [1]).“ Sunt qui haec quoque verba Tacito crimini dent, quasi iis Tiberium reprehendat. Sed ex Taciti ratione dicendi verisimile est, invenisse eum hanc rem in fonte suo, addita fortasse reprehensione in Tiberium. Cum autem sine ira et studio scribere studeret, omisisse videtur reprehensionem et tradidisse solam rem, non obstitisse Tiberium falsis rumoribus: quod nos Tiberio opprobrio non damus. Ex his autem omnibus rebus intellegimus, quantus fuerit in Germanicum amor. Multi deinde honores Germanico mortuo a senatu decreti sunt, quos enumerare supervacaneum est, cum ex iis Tiberi animus non possit cognosci. Quid enim Tiberi intererat mortuo Germanico summos honores tribui? Si cuiquam prodesse hoc potuit, certe Tiberio profuit, qui hoc modo amorem in Germanicum simulavit, ut maestum populum sibi reconciliaret. „*Cete-*

---

[1]) Ann. II 82.

rum recenti adhuc maestitia soror Germanici Livia, nupta Drusi, duos virilis sexus simul enixa est. Quod rarum laetumque etiam modicis penatibus tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit, quin iactaret apud patres nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam: nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tamquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgueret [1]).“ Speraverat igitur populus Germanicum liberosque eius suscepturos esse imperium, et valde doluit, quod Druso, quem diu victurum esse sperare non poterat, nati erant duo filii, qui ei aut Tiberio succederent [2]). Quid mirum, si summo gaudio afficiebatur Tiberius, qui nihil magis optabat, quam ut imperium maneret apud suos posteros? Fortasse gaudebat etiam propterea, quod Agrippinam fefellerant spes, adepturos esse imperium aut Germanicum ipsum aut liberos eius. Nequaquam autem in malam partem accipiemus, quod Tiberius gaudio commotus iactavit hoc apud patres: neque enim meritum suum hoc laudare potuit, sed verisimile est fortunam suam et deorum favorem eum praedicasse, id quod recte et prudenter fecit. Eodem modo interpretari velim illud quoque: „*cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat.*“ Quod mea quidem sententia vitium non erat. Si autem Tacitus his verbis Tiberium vituperavit, hoc inde factum est, quod male de Tiberio existimabat: certe hoc non finxit vituperandi causa.

Proximo anno Agrippina cum Germanici cinere in Italiam venit et ad Brundusium appulit. „*Ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, maerentium turba et*

---

[1]) Ann II 84.

[2]) Valde mirum est Sieversii illud (VI. p. 7): „*Wenn aber wirklich die Niederkunft der Livilla, der Frau des Drusus, mit Zwillingen, den Schmerz des Volkes vergrösserte, so liegt der Grund davon schon überhaupt in der menschlichen Natur, welcher bei tiefer Bekümmernis das, was sonst ein Gegenstand der Freude sein würde, ein Zuwachs des Schmerzes wird.*“ Crediderim potius contrarium, animis magno maerore afflictis etiam minimam rem iucundam videri magnum gaudium.

rogitantium inter se, silentione an voce aliqua egredientem exciperent. Neque satis constabat, quid pro tempore foret, cum classis paulalatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus; neque discerneres proximos alienos, virorum feminarumve planctus, nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessum obvii et recentes in dolore anteibant [1])." Haec tam dilucide Tacitus narravit, ut effugere nos non possit auctorem eius illa vidisse oculis suis.

„*Miserat duas praetorias cohortes Caesar, addito ut magistratus Calabriae Apulique et Campani suprema erga memoriam filii sui munia fungerentur. Igitur tribunorum centurionumque umeris cineres portabantur; praecedebant incompta signa, versi fasces; atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites pro opibus loci vestem odores aliaque funerum sollemnia cremabant. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras dis Manibus statuentes lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici, qui in urbe fuerant. Consules M. Valerius et M. Aurelius (iam enim magistratum occeperant) et senatus et magna pars populi viam complevere, disiecti et, ut cuique libitum, flentes* [2])." Tantus erat amor et gratia in Germanicum etiam mortuum! Quid mirum, si pergit Tacitus: „*aberat quippe adulatio, gnaris omnibus laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari* [3])." Quidni laetam ei Germanici mortem fuisse credamus, cum vidisset, quanto iure illum metuisset? Atque etiam, ut ait Tacitus in libri quarti capite primo, „*Germanici mortem inter prospera ducebat.*" Neque dubitandum est, quin male dissimulaverit hanc laetitiam. Quare potuit credere Tacitus Tiberium et Liviam publico abstinuisse, „*ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur* [4])" Neque autem

---

[1]) Ann. III 1.

[2]) Ann. III 2.

[3]) Ann. III 4. cf. Dio Cassius 57 18. *τοῦ δὲ δὴ Γερμανικοῦ τελευτήσαντος ὁ μὲν Τιβέριος καὶ ἡ Λιβία πάνυ ἥσθησαν, οἱ δὲ δὴ ἄλλοι πάντες δεινῶς ἐλυπήθησαν.*"

[4]) Ann. III 3.

hoc dicit, sed addit alteram causam: „*Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius maiestate sua rati, si palam lamentarentur, an ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur.*“ Fortasse utraque causa commovebatur Tiberius, ut ita faceret. Ne Antonia mater quidem videtur adfuisse funeri, „*seu valetudine praepediebatur seu victus luctu animus magnitudinem mali perferre visu non toleravit* [1].“ Addit Tacitus: *Facilius crediderim Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par maeror et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur.*“ Haec tradit non quasi res ita sese habuerit, sed ut suam ipsius opinionem: et quantis ob hanc rem oneratus est opprobiis! Si autem voluit calumniari Tiberium, cur alias illas causas addidit, cur non omisit illud „facilius crediderim“? Male, ut vidimus, Tacitus de Tiberio existimavit: hoc num vitio ei dandum est? Immo vero laudandus est, quod, quamvis ita persuasum sibi haberet, attulit tamen, quae purgare possint Tiberium.

„*Dies, quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies: plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces. Illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus eoncidisse rem publicam, nihil spei reliquum clamitabant, promptius apertiusque quam ut meminisse imperitantium crederes* [2].“ Usque eo ventum erat. Speraverat populus, quamvis viverent et Tiberius et Drusus et Drusi filii, Germanicum adepturum esse imperium et cupiverat, atque si conatus esset ille rerum potiri, omnibus viribus eum adiuvissent, cum Tiberi regnum non probarent. Cum tales essent voluntates, fieri non potuit, quin Tiberius metueret Germanicum atque, etiamsi Germanicus maluisset expectare imperium quam habere, ex morte eius magnam caperet laetitiam, praesertim cum Agrippinam imperii cupidissimam esse non ignoraret. Accedebat etiam in Agrippinam summus populi amor. Quare „*nihil Tiberium tum magis penetravit quam studia hominum accensa in Agrippinam, cum de-*

---

[1]) Ann. III 3.
[2]) Ann. III 4.

cus patriae, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen apellarent versique ad caelum ac deos integram illi subolem ac superstitem iniquorum precarentur [1]." Fuerunt etiam, qui dicerent Germanico „*ne solitos quidem cuicumque nobili debitos honores contigisse* [2]." „*Gnarum id Tiberio fuit: utque premeret vulgi sermones, monuit edicto multos illustrium Romanorum ob rem publicam obisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum* [3]." Interea cupiebat populus, „*ut Piso in ius vocaretur, crebro questu, quod vagus interim per amoena Asiae atque Achaiae adroganti et subdola mora scelerum probationes subverteret. Nam vulgatum erat missam a Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam subita morte Brundisii extinctam, venenumque nodo crinium eius occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exiti reperta* [4]." Credebant igitur, illam a Pisone veneno esse interfectam, ut testem criminis sui amoveret; neque hoc refelli posse eo, quod sumpti veneni signa non invenirentur, immo vero probari Martinae morte venenum accepisse etiam Germanicum, cuius corpus num veneficii signa praetulisset, dubium esset. Sed fieri non potuit, ut a Pisone interficeretur Martina, cum custodiretur a Pisonis inimicis. Deinde si Martina erat affinis sceleri, certe erat, quod non secum portaret venenum, quod efficeret idem. Quare aut naturae concessit aut mortem sibi conscivit, ne aliorum scelerum poenas lueret, aut interfecta est a Germanici amicis, quorum multum intererat augeri suspicionem Pisonis interempta Martina. Qui certe id egerunt, ut mortuam subito illam et venenum nodo crinium eius occultatum pervulgarent. „*At Piso praemisso in urbem filio datisque mandatis, per quae principem molliret, ad Drusum pergit, quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat* [5]." Haec de Pisonis sententia dixisse Tacitum, vel ex eo intellegimus, quod fratres egregie concordes ipse ostendit [6]." Qui sperare potuit

---

[1]) Ann. III 4.
[2]) Ann. III 5.
[3]) Ann. III 6.
[4]) Ann. III 7.
[5]) Ann. III 8.
[6]) Ann. II 43.

Piso, Drusum remoto aemulo sibi aequiorem futurum esse, quoniam non erat auctor Germanici mortis? Sine dubio non ignorabat rumores, qui ferebantur, a se venenum accepisse Germanicum, ad Drusum quoque pervenisse, et potuisse fieri, ut ab eo crederentur. Cum vero fratres inter se concordes fuisse nesciret, sed Germanicum putaret aemulum ut Tiberi, ita Drusi, sperabat, si rumori fidem haberet Drusus, sibi futurum esse illum aequiorem. Quae spes Pisonem fefellit: respondit enim Drusus „*se malle falsa esse et inania quae iacerentur nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse* [1]).“ Quae ut a Tiberio ei praescripta putarentur, inde factum est, quod credebatur numquam Drusus, qui semper familiariter usus erat Germanico, tam benigne allocuturus fuisse Germanici interfectorem, nisi iussus esset a Tiberio. Iniuria autem reprehenditur Tacitus, quod dixerit, Tiberium praescripsisse haec verba Druso, cum dicat: „*non dubitabantur haec praescripta a Tiberio.*“

Deinde „*Piso Delmatico mari tramisso relictisque apud Anconam navibus per Picenum ac mox Flaminiam viam adsequitur legionem, quae e Pannonia in urbem, dein praesidio Africae ducebatur eaque res agitata rumoribus, ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset* [2]).“ Verisimile est sparsos esse hos rumores a Germanici amicis, quo maiore ira populus afficeretur in Pisonem. „*Ab Narnia vitandae suspicionis an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nari ac mox Tiberi devectus est* [2]).“ Quae Altemoeller refert hoc modo [3]): „*vielleicht um allem Verdachte auszuweichen, jedenfalls nicht deshalb, weil er nach der Deutung des Tacitus ängstlich und in seinen Plänen unschlüssig war.*“ Hinc apparet, quam non accurate Taciti verba referantur. Qui enim haec Altemoelleri leget, ei videbitur Tacitus scripsisse solam illam causam: „*quia pavidis consilia in incerto sunt,*“ quamvis afferat etiam alteram vitandae suspicionis causam.

Cum Romam venisset Piso, a Fulcinio Trione apud consules

---

[1]) Ann. III 8.
[2]) Ann. III 9.
[3]) pag. 33.

postulatur. „*Contra Germanici amici tendebant: nullas esse partis Trioni neque se accusatores, sed rerum indices et testes mandata Germanici perlaturos* [1].“ „*Petitum est a principe, ut cognitionem exciperet. Quod ne reus quidem abnuebat, studia populi et patrum metuens: contra Tiberium spernendis rumoribus validum et conscientiae matris innexum esse* [1].“ Manifestum est populi et patrum studia in Germanicum Germanici inimico metuenda fuisse; sed quid sibi vult Tacitus, cum dicit Tiberium „*conscientiae matris innexum*“? Jam supra vidimus quodam modo Pisonem in tuto esse sibi visum propter conscientiam Liviae. Quam ne hoc quidem loco ad aliud quidquam referre possumus nisi ad mandata Plancinae a Livia data. Verisimillimum mihi videtur ex his mandatis coniecisse Pisonem, voluisse Liviam et Tiberium spes Germanici coërceri, seque ad hanc rem destinatum esse. Absurdum igitur, quod ad hunc locum dicit Altemoeller [2]: „*Eine durchaus missglückte Motivierung, welche den Character des Erfundenen und Erkünstelten so deutlich an der Stirn trägt, dass man sie unmöglich im Ernste für Pisos Gedanken halten kann? Wie sollte Tacitus von diesen auch Kenntniss genommen haben?*“ Primum verisimile est, ut iam supra demonstravimus, usum esse Tacitum auctore, qui familiariter vixit cum Pisone, et fortasse ex hoc ipso audivisse illa, ut dicit III 16: „*Audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum . . . .*“; deinde causas ipsas probabiles esse luce est clarius. Nam contentus erat Piso, quod princeps cognitionem excipiebat, quia „*vera aut in deterius credita*“ facilius ab eo discerni putabat; illa autem „*in deterius credita*“ erant rumores, Germanicum a Pisone interfectum esse, quibus fidem haberi a Tiberio non credebat: „*vera*“ autem erant res illae, quas gesserat contra leges, ratus sese destinatum esse a Tiberio, ut Germanici spes coërceret, quarum a Tiberio sperabat veniam.

Tiberius causa integra ad senatum remissa orationem habuit „*meditato temperamento* [3].“ „*Patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse adiutoremque Germanico datum a se auctore*

---

[1]) Ann. III 10.
[2]) pag. 34.
[3]) Ann. III 12.

senatu rebus apud Orientem administrandis. Illic contumacia et certaminibus asperasset iuvenem exituque eius laetatus esset, an scelere extinxisset, integris animis diiudicandum. Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit eiusdemque morte et luctu meo laetatus est, odero seponamque a domo mea et privatas inimicitias non vi principis ulsciscar . . . .“ Simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint accusatores.“ Cognoscimus non posse a Tiberio Pisonem accepisse mandata, ut obseqium erga Germanicum rumperet aut ut studia militum ambiret aut alia, neque Tiberium Pisoni conscium fuisse harum rerum. Neque enim, si fuisset, monuisset senatores, ut has res quaererent. Quod autem dixit Tiberius: „*defleo equidem filium meum semperque deflebo*“ et „*nemo Drusi lacrimas, nemo maestitiam meam spectet,*“ haec verba habenda non sunt sincera, quod, ut vidimus, „*inter prospera ducebat Germanici mortem.*“ Recte igitur Tacitus tradit orationem illam habitam esse „*meditato temperamento.*“ Sed hoc crimini ei dandum non est: si enim sincero luctu affectus non erat, — quod fieri non potuit, nisi amaverat Germanicum — debebat simulare maestitiam. Indicaverunt accusatores „*odio Germanici et rerum novarum studio Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias eo usque corrupisse, ut parens legionum a deterrimis appellaretur; contra in optimum quemque, m a x i m e i n c o m i t e s e t a m i c o s G e r m a n i c i s a e v i s s e; postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse; sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae, petitam armis rempublicam, utque reus agi posset, acie victum*[1].“ “*Defensio in ceteris trepidavit, nam neque ambitionem militarem neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum Imperatorem infitiari poterat: s o l u m v e n e n i c r i m e n v i s u s e s t d i l u i s s e*[2].“ „*Sed iudices per diversa implacabiles erant, C a e s a r o b b e l l u m p r o v i n c i a e i n l a t u m, senatus numquam satis credito sine fraude Germanicum interisse*[2].“ Recte igitur metuerat Piso, ne studia patrum in Germanicum sibi

---

[1]) Ann. III 13

[2]) Ann. III 14.

essent damno. Attamen veneficii culpa vacuum eum fuisse elucet. Qui enim crediderunt „*in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos*“ atque „*inter aliena servitia et tot adstantium visu, ipso Germanico coram, id ausum*,“ praesertim cum „*offerret familiam reus et ministros in tormenta flagitaret*,“ ii integris animis iudicare non potuerunt. Sed nimias spes posuerat in Tiberi amicitia, ratus, quae fecerat legiones sibi conciliando et Germanici obsequium rumpendo et provinciam armis repetendo, fore ut probarentur Tiberio. Recte Tiberius moleste tulit, quod tali modo Piso abusus erat amicitia eius: fortasse etiam ignovisset prima, quae pro eo contra Germanici spes fecerat ille, sed quod bellum civile moverat, huius rei veniam non dedit. Deinde tumultu populi ante curiam orto Piso a tribuno militum deductus est, „*vario rumore custos salutis an mortis exactor sequeretur.*“ Plancina „*donec mediae Pisoni spes, sociam se cuiuscumque fortunae et, si ita ferret, comitem exitii promittebat. Ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit, paulatim segregari a marito, dividere defensionem coepit. Quod reus sibi exitiabile intellexit*[1]). Unde efficitur Pisonem, quod Plancinae mandata dederat Livia, nimia fiducia sibi visum esse et Plancinae, omnium rerum, quas faceret, habere receptum in Livia. Quam spem sese fefellisse intellexit, cum Plancina ab eo se segregasset. Paucis diebus post redintegrata accusatione senatum rursus ingressus est[2]): „*infensas patrum voces, adversa et saeva cuncta perpessus nullo magis exterritus est quam, quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur* [1]).“ Hoc est facile intellectu: quid enim Pisonis magis intererat quam quid sentiret Tiberius? Hic autem affectus erat et gaudio, quod contra Germanicum e republica fecisset Piso, et ira, quod contra leges: quare studuit sensus suos non detegere. Postridie domi Piso „*perfosso iugulo iacente humi gladio repertus est* [1]).“ Ad quae Tacitus addit[3]): *Audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem non vulgaverit; sed amicos eius dictitavisse litteras*

---

[1]) Ann. III 15.
[2]) cf. Suet. Cal. 2: „a senatu capitis damnatus est (Piso).“
[3]) Ann. III 16.

Tiberi et mandata in Germanicum contineri ac destinatum promere apud patres principemque arguere, ni elusus a Seiano per vana promissa foret; nec illum sponte extinctum, verum inmisso percussore. Quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad iuventam duraverunt.“ Ad haec adnotat Altemoeller [1]): „*Pflicht des Historikers wäre es gewesen, dieses Volksgerücht in bestimmt lautenden Worten als eine Lüge zu bezeichnen, statt damit zufrieden zu sein, in den Lesern den Glauben an einen argen Verdacht zu nähren.*“ Sed vel ex eo, quod hoc non fecit, sine ira et studio eum scripsisse intellegimus. Neque enim potuit refellere rumorem illum, sed addidit sese fidem illi non habere, atque scriptoris esse putavit afferre etiam rumores. Si voluisset calumniari Tiberium aut legentium suspicionem augere, certe non addidisset sese fidem non habere illi rumori. Ut non sine ira scripsit, nisi attulit, quaecumque poterant purgare Tiberium, ita non sine studio, nisi quaecumque ferebantur contra Tiberium quamvis falsa. Discimus autem ex hoc rumore non ignorasse populum inter Tiberium et Germanicum non bene convenisse; quod si ita non fuisset, tales rumores fieri non potuissent. Comperta Pisonis morte Tiberius „*flexo in maestitiam ore suam invidiam tali morte quaesitam apud senatum conquestus est* [2]).“ Verba, quibus usus est Tacitus, „*flexo in maestitiam ore*“ non video, quid habeant simulationis; nam „flectere in maestitiam os“ significat „maestum praebere vultum.“ Tum M. Pisonem exquirit Tiberius, „*qualem Piso diem supremum noctemque exegisset, et recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos: Conspiratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiae meae nusquam locus est, deos immortales testor vixisse me, Caesar, cum fide adversum te neque alia in matrem tuam pietate; vosque oro liberis meis consulatis, ex quibus Cn. Piso qualicumque fortunae meae non est adiunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit, M. Piso repetere Suriam dehortatus est. Atque utinam ego potius filio iuveni quam ille patri seni cessisset. Eo impensius precor, ne meae pravitatis poenas innoxius luat. Per quinque*

[1]) pag. 39.
[2]) Ann. III 16.

et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus quondam divo Augusto parenti tuo probatus et t i b i a m i c u s *nec quidquam post haec rogaturus salutem infelicis filii rogo* [1])." Hanc epistulam numquam scripsisset Piso, si fuisset is, quem vult Altemoeller, aut despexisset Tiberium. Videmus autem usque ad ipsam mortem Pisonem persuasum sibi habuisse Tiberio probari, quae ipse fecisset ante mortuum Germanicum, et hanc unam iniuriam sese fecisse, quod bellum civile movisset. M. Pisonem crimine belli civilis absolvit Tiberius, sed non omni poena eum liberavit. Cum enim Aurelius Cotta censuisset, ut „*M. Piso exuta dignitate et accepto quinquagiens sestertio in decem annos relegaretur*," illum „*ignominiae exemit consessitque ei paterna bona* [1])." Quid autem habuit, quod in decem annos eum relegaret? Certe et M. Piso simul cum patre ruperat obsequium in Germanicum et fecerat contra leges et rem publicam. Ergo ne haec quidem, quamvis contra Germanici spes et utilitati sibi essent, ignoscere potuit Tiberius. Plancinam vero, quae studuerat favorem militum quaerere, non modo poena adfecit nulla, sed etiam defendit. Sed „*c u m p u d o r e e t f l a g i t i o pro ea disseruit, matris preces obtendens, in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant. Id ergo fas aviae interfectricem nepotis adspicere, adloqui, eripere senatui. Quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse* [2])." Qui rumores minimi sunt momenti; cognovimus autem Plancinae sine dubio fuisse in Agrippinam mandata a Livia data, et quae ea fecerat apud exercitum, probata esse a Tiberio. Si enim „*cum pudore et flagitio*" disseruit hic, sese iniuriam facere ignarus non erat. Quamquam Plancinam poena non adfecit commotus mandatis a Livia datis et fortasse etiam odio in Agrippinam. Atque etiam iterum dicit Tacitus puduisse Tiberium, quod veniam dedisset Plancinae: fuisse eum „*tum* p u d o r e a b s o l u t a e P l a n c i n a e *placabiliorem* [3])." „*Paucis diebus post Caesar auctor senatui fuit Vitellio atque Veranio et Servaeo* (i. e. Germanici amicis, accusatoribus Pisonis) *sacerdotia tribuendi, Fulcinio suffragium ad honores pollicitus*

---

[1]) Ann. III 16.
[2]) Ann. III 17.
[3]) Ann. III 18.

monuit, ne facundiam violentia praecipitaret [1]).“ Etiam ex hoc loco multi efficiunt Tiberium dilexisse Germanicum. Nonne potius putamus hoc eum fecisse, ut placaret populum et Germanici amicos?

Atque ut breviter complectamur ea, quae invenimus: Tiberius postquam cunctanter et caute imperium suscepit, non ignarus non iam satis tutum id esse, iuste et prudenter regnando imperium munire studebat. Atque vix initium fecerat, cum sibi non esse populi favorem et gratiam vidit, carum autem atque iucundissimum esse plebi et militibus Germanicum, qui apud Rhenum exercitui praeerat, neque multum afuisse comperit, quin a legionibus hic Imperator salutaretur et rerum ipse potiretur. Accedebat, quod erat cum Germanico in simultate orta ex inimicitiis, quae erant inter Liviam et Agrippinam, uxorem Germanici. Quid mirum, quod in Tiberium incidit metus, ne novis rebus studeret Germanicus? Quare nihil antiquius habebat quam, ut illum revocaret a Germania et abstraheret a legionibus addictis ei et deditis. Quod quia facere non potuit, dum bene succedebant facta illius, speciem amoris in Germanicum praebere placabilioresque reddere illum et milites studebat et concedendo ea, quae concesserat ille militibus tumultuantibus, et tribuendo illi summos honores. Cum vero Germanicus post victorias de Germanicis reportatas rediens casibus et tempestatibus summam accepisset cladem, tempus esse putavit illum revocandi litterasque ad eum misit, quibus satis diu bellatum esse, satis eventuum, satis casuum scripsit: quare melius esse desistere a bello Germanosque internis discordiis relinquere. Quae cum non intellegeret Germanicus, sed speraret sese confecturum esse bellum anno uno, Tiberius ei promisit consulatum, cuius munia praesens obiret. Simul opportune ei accidit res Orientis moveri, qua re potuit et compensare honores Germanico demptos et amovere illum ipsum in regiones, ubi non iam ei erat populi et militum favor. Ut autem impediret, quominus illic pareret favorem similem Germanicus, Suriae praefecit pro Cretico Silano, qui affinitate coniunctus erat cum Germanico, Cn. Pisonem sibi amicum, cui, si periculum instaret a Germanico, fidere posse sibi

---

1) Ann. III 19.

videbatur. Erat enim Suria provincia Imperatoris et in Oriente longe maximi momenti — non minus quam in Occidente Gallia — eiusque legatus quattuor imperabat legionibus. Neque tamen Tiberius Pisoni dedit mandata contra Germanicum: Germanico autem tribuit Orientis provincias et maius imperium quam quod habebant proconsules aut provinciarum legati. Sed Plancinam, Pisonis uxorem, Livia monuit, ut quacumque ratione iniuriam inferret Agrippinae; qua re commotus Piso se delectum putavit, ut Germanico omnibus in rebus afferret difficultates. Celeriter igitur in provinciam suam profectus omni ratione vel iusta vel iniusta militum animos sibi conciliare et a primo abalienare Germanico studuit. Qui vero tarde iter fecit simulque et visitando Graecas urbes et Thraecias et alias et refovendo provincias ventum popularem quaesivit. Postquam deinde confecit ea, ad quae erat destinatus, cum Pisone in certamen venit, neque patet utrum de industria necne: sine dubio persuasum sibi habebat a Pisone insectationibus sese peti. Cum igitur Pisonem aut filium eius partem legionum in Armeniam ducere iussisset, Piso non oboedivit ratus hoc probatum iri Tiberio. Cum vero interdum Germanici iram et odium auxissent amici criminando Pisonem, res ad discordias deducitur.

Anno XIX. Germanicus iter fecit in Aegyptum, ut hic quoque studia populi sibi conciliaret, quamquam provinciam illam introire vetitum erat. Reversus autem in Suriam, omnia, quae instituerat, a Pisone irrita facta invenit, qua re augebatur et odium in Pisonem et persuasio se ab illo insidiis tentari. Non multo post gravi morbo affectus amicis, qui eum a Pisone venenum accepisse finxerunt, habuit fidem et amicitiam renuntiavit Pisoni. Paulo post mortuus est non veneno, sed morbo: nam infirma valetudine iam diu fuerat. Piso, qui decesserat de provincia iussus a Germanico, post illius mortem non celavit laetitiam suam et provinciam, qua potiti erant Germanici amici, vi et armis frustra repetebat. Tiberius, quamvis laeta ei esset mors Germanici, per quam liberatus erat omni metu, quaestionem tamen in Pisonem fieri passus est. Etsi veneficii culpa vacuum putabat Pisonem, ira tamen in eum incensus erat, quod contra rem publicam militum studia hic sibi conciliaverat et moverat bellum civile. Piso autem, quem fefellerant spes, Imperatori

probatum iri, ea, quae fecisset, mortem sibi conscivit, postquam iniuriam se fecisse intellexit oravitque, ut ignosceretur filiis suis. Quare M. Pisoni civilis belli veniam dedit Tiberius, sed propter reliqua crimina relegavit eum in decem annos, cum Plancinae omnium rerum daret veniam, commotus Liviae matris precibus, quae illam monuerat, ut offenderet Agrippinam: fortasse etiam odio Agrippinae commotus est. Hoc solum crimini ei potest tribui, quod ignovit Plancinae, quae studuerat militum animos sibi conciliare, qua eadem de re antea obiurgaverat Agrippinam; sed facile matris iram incendisset, si punivisset Plancinam. Quamvis autem laeta ei esset Germanici mors, quamvis Pisoni esset amicus, maximi tamen aestimavit iustitiam et disciplinam, nisi forte putamus metu populi et Germanici amicorum commotum eum esse, ut damnaret Pisones. Manifestum est Tiberium sollicitatum esse metu Germanici eoque commotum saepius, ut aliud diceret et faceret atque sentiret. Dubium autem est, utrum revera Germanicus novis rebus studuerit necne. Quod enim metuit Tiberi in se odium et invidiam, non est, cur negemus rerum potiri eum voluisse. Patet eum quaesivisse studia populi et militum [1]), atque tantus erat favor, ut populus post mortem eius concidisse rem publicam clamaret et moleste ferret, quod Druso nati erant duo imperii heredes. Itaque etiam mortuo Germanico et amicis eius Tiberius honores tribuit, ut placaret populi animos. Verisimile est cupivisse Germanici amicos et Agrippinam, ut rerum ille potiretur, atque, cum spes eorum in irritum cecidissent, id egisse, ut Germanicum veneno mortuum esse vulgarent. Populus autem et, quicumque stabant a Germanico, rati eum, si Imperator factus esset, optime regnaturum fuisse, proni erant, ut fidem haberent rumoribus illis atque, cum inter Tiberium et Germanicum non bene convenisse haud nescirent, culpam mortui Germanici attribuerent Tiberio. Itaque factum est, ut nonnulli scriptores [2]) illorum temporum Germanicum venenum accepisse a Pisone auctore Tiberio traderent. Tacito autem magnae laudi est dandum, quod scripsit tam integro animo, ex quo intellegamus rumores illos de morte Germanici esse falsos. Ex eo etiam id intellegimus, quod nobis propositum erat quaerere, f u i s s e i n T i b e r i o G e r m a n i c i m e t u m n e q u e i d s i n e c a u s a.

---

[1]) cf. Suet Cal. 3: „*conciliandae hominum gratiae ac promerendi amoris mirum et efficax studium.*“

[2]) Quibus auctoribus Suet. Cal. 2: „*obiit autem, ut opinio fuit, fraude Tiberi ministerio et opera Cn. Pisonis.*“

et Tib. 52: „*Etiam causa mortis fuisse ei* (i. e. Germanico) *per Cn. Pisonem legatum Suriae creditur.*“

Vita.

Curtius Rudolphus Ferber Hamburgi anno h. s. LXVIII. die XXIII. mensis Novembris natus sum patre Henrico Rudolpho Ferbero, Dr. med. et chir., medico Hamburgensi, et matre Antonia de gente Sickel. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus sum in gymnasio Johanneo Hamburgensi, cuius inter magistros v. d. Hochio, tum gymnasii rectori, et v. d. Bintzio gratiam maximam habeo semperque servabo. Autumno anni h. s. LXXXVI. maturitatis testimonio auctus in universitatem Lipsiensem me contuli, ut operam darem philologiae et historiae. Inde vere anni LXXXVIII. migravi Kiliam: quo, postquam semestre aestivum anni LXXXIX. rursus Lipsiae degi, autumno LXXXIX. redii ad studia amplificanda et perficienda. Audivi Lipsiae v. d. v. d. Biedermann, Cichorius, Gardthausen, Heinze, Hermann, Lipsius, Maurenbrecher, Overbeck, Pueckert, Ribbeck, Wachsmuth, Wundt, F. Zarncke. Praeterea mihi contigit, ut interessem proseminariis philologicis Ribbeccii, Wachsmuthii, Hanssenii v. d. v. d., seminario historico Gardthausenii v. d., exercitationibus historicis Cichorii v. d., seminario paedagogico Richteri v. d.. Kiliae audivi v. d. v. d. Blass, Bruns, Busolt, Foerster, Forchhammer, Glogau, Kruemmel, Schirren, Schum, et adeptus sum, ut interessem per unum semestre proseminario philologico Foersteri v. d., per II semestria seminario philologico Forchhammeri et Blassii v. d. v. d., per unum semestre exercitationibus philologicis Brunsii v. d., cui hoc loco singulares gratias ago pro magna benevolentia in me collata, per IV semestria seminario historico Busoltii v. d., per III semestria seminario historico Schirrenii v. d., per unum semestre seminario historico Schumii v. d., per duo semestria colloquio geographico Kruemmelii v. d., per unum semestre exercitationibus philosophicis Glogavii v. d.: quibus viris plus quam dici potest gratiam debeo. Imprimis autem hoc loco gratias ago Busoltio v. d., cuius consilio atque opera mihi contigit, ut conficerem hanc dissertationem.

Sententiae controversae.

I.

Drusum, Tiberi filium, veneno mortuum esse nego.

II.

In Horatii epist. II 3 post versum 384 omitto punctum.

III a.

Germanici Caesaris filias natas esse conicio,
- anni XV. p. Chr. n. initio Drusillam in Treveris vico Ambitarvio supra Confluentes,
- a. d. VIII. Id. Nov. anni XVI. Agrippinam Colonia Agrippinensi,
- anni XVIII. initio Juliam Livillam Lesbi.

III b.

Quare in Suet. Cal. 7. pro „*Agrippina, Drusilla, Livilla*“ lego „*Drusilla, Agrippina, Livilla.*“

IV.

In scholis historiam domesticam imprimisque huius saeculi magis tractandam esse iudico, quam fit, neque postponendam historiae antiquitatis.

V.

Id agendum puto, ut apud nos litterae, quas vocant, latinae veniant in usum communem et abiciantur litterae, quas vocant, thiudiscae.

